



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Summula Casuum Conscientiæ

In Qva Agitur De Præceptis Ecclesiæ, De Officio Confessarii, Ac De
Censuris

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ Agrippinæ, 1652

urn:nbn:de:hbz:466:1-41572




Th. 2337

9. I


16.











C
:

R.

Ap

SVMMLA
CASVVM
CONSCIENTIÆ

IN QVA AGITVR
DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE,
DE OFFICIO CONFESSARII,
AG DE CENSURIS.


AVTHORE
D. PETRO A S. IOSEPH
FVLIENSI.



COLONIAE,
Apud CONSTANTINVM MÜNICH.

M. DC. LII.

*Cum Privilegio S. C. M. & Approbatione
Doctorum,*



Venerabilis
pater
magister
A. ...
C. ...

✠

T

tri
co
lis
ag
fiæ
fite
am
In
seu
ecq
las
pit.
ftic

A D
LECTOREM.

VT tandem fidem datam
liberemus, Tractatui de
præceptis Decalogi, su-
perioribus annis edito,
tria Opuscula subiungimus, quæ ad
complementum Theologiæ mora-
lis spectare videbantur. In primo
agitur de quinque præceptis Eccle-
siæ, nempe audiendi Missam, con-
fitendi peccata, sumendi Eucharisti-
am, ieiunandi & soluendi decimas.
In secundo de Officio Confessarii,
seu de requisitis in Confessario an-
tequam audiat confessiones, cum il-
las audit, & postquam eas exce-
pit. In tertio de Censuris Ecclesia-
sticis tum in genere, tum speciatim
de

AD LECTOREM.

de excommunicatione, suspensione, interdicto, variisque iis annexis, nempe depositione, degradatione, cessatione à diuinis, & irregularitate.

Cæterum multa quæ in Idea Theologiæ Sacramentalis brevissimè tractata sunt, ex his Opusculis non exiguam, vt spero, lucent accipient; cum in primo latius expendantur quæ spectant ad vsum confessionis, ad sumptionem Eucharistiæ, & ad Missæ auditionem: in secundo de officio ipsius Confessarii distinctiùs, & accuratiùs tractetur, ac in tertio agatur fusè de censuris, quarum cognitio ad rectum vsum, & administrationem omnium Sacramentorum plane necessaria est.

Quare pium Lectorem rogatum velim, vt nostram hanc Opusculam,

AD LECTOREM.

lam, quantulacumque est, boni
consulat, & si quid ex ea utilitatis
perceperit, id totum in bonorum
omnium largitorem refundat.



* 3

Appro-

Approbatio Doctorum.

Hanc Partem Summula Casuum Conscientia, in quâ agitur de præceptis Ecclesiæ, de officio Confessarij, ac de Censuris, Reuerendi Patris Domini Petri à Sancto Ioseph Fulienſis operâ, arte, & studio elaboratam, nec non optimam in breuitatem concinnè & eleganter redactam, sedulo, attentè ac diligenter perlegimus, quam quia nihil nisi fidei Christianæ, Doctrinæ Orthodoxæ, ac probatis moribus consonum continet, immo pœnitentibus valde utilis est, & Confessariis plurimum commoda, quæ typis mandetur, nos infra scripti Theologiæ Parisiensis Doctores dignam censemus. Datum Parisiis die tertiâ Iunij Anno Domini millesimo sexcentesimo. 1651.

F. IOANNES HANIN.

F. A. SURNEAV.

INDEX



I N D E X

C A P I T V M,

ET ARTICVLORVM

SECUNDÆ PARTIS.

OPVSCVLVM I.

De præceptis Ecclesiæ.

C A P V T I.

De primo Ecclesiæ præcepto,

*Quo iubemur Dominicis, & festis diebus
Missam audire.*

Articulus I. **A**N hoc præceptum graviter obli-
get, quas personas, quo tem-
pore, quo loco. pag. 1.

Articulus II. *Ad quid hoc præceptum obli-
get.* 5.

Articulus III. *De causis ob quas à Missa audienda
fideles excusantur.* 9.

Conscien-
cclesiæ,
, Reue-
ceph Fu-
n, nec-
& ele-
ligentes
Christia-
moribus
ous val-
commo-
i Theo-
nfemus.
Domini

INDEX

INDEX CAPITVM

CAPVT II.

De secundo Ecclesiæ præcepto,
Quo iubemur semel in anno peccata
confiteri.

- Articulus I. **D**E præcepto diuino confitendi
peccata. 11.
- Articulus II. De præcepto Ecclesiastico confitendi
peccata. 15.
- Articulus III. De dolore ad veram confessionem re-
quisito. 19.
- Articulus IV. De aliis qualitatibus ad confessionem
requisitis 24.
- Articulus V. De integritate confessionis quoad spe-
cies, & numerum peccatorum 28.
- Articulus VI. De integritate confessionis, quoad
peccatorum circumstantias. 33.
- Articulus VII. De circumstantiis peccatorum sigil-
latim. 35.
- Articulus VIII. Quinam sint casus in quibus con-
fessio est valida, licet materialiter non sit integra,
seu etsi aliquod peccatum mortale reticeatur. 40.
- Articulus IX. Quid dicendum sit de iteranda con-
fessione. 44.

ET ARTICVLORVM.

CAPVT III.

De tertio Ecclesiæ præcepto,
Quo iubemur communicare semel in
anno.

Articulus I. **A**N detur aliquod præceptum su-
mend: Eucharistiam. 48.

Articulus II. *Quanam dispositiones requirantur
ex parte corporis, ad Eucharistiam dignè reci-
piendam.* 52.

Articulus III. *Quanam dispositiones requirantur
ex parte animæ, ad dignam susceptionem Eucha-
ristiæ.* 57.

Articulus IV. *Quanam necessitas sufficiat ut quis
defectu Confessarii, non præmissa confessione pec-
cati mortalis, ad Eucharistiam accedere possit.*
59.

Articulus V. *In quibus casibus censeatur deesse con-
fessarius.* 69.

CAPVT IV.

De quarto Ecclesiæ præcepto,
Quo iubemur certis anni diebus
ieiunare.

Articulus I. **Q**uid intelligatur nomine ieiunii
65.

Articulus II. *A quibus cibis abstinendum sit tem-
pore ieiunii Ecclesiastici.* 67.

AR-

INDEX CAPITVM

- Articulus III. *Quotuplex resectio in die ieiunii
mi possit.* 61
Articulus IV. *De tempore ieiunii.* 71
Articulus V. *Quinam teneantur ad ieiunium.* 74
Articulus VI. *Quinam excusentur à præcepto ieiunii.* 76
Articulus VII. *Quinam à præcepto ieiunii dispensari
re possunt.* 78
Articulus VIII. *Quandonam peccent cooperantes
ad violationem ieiunii.* 87
-

CAPVT V.

De quinto Ecclesiæ præcepto.
*Quo fideles tenentur suis Pastoribus decimas
soluere.*



OPVSCVLVM II.

De officio Confessarii.

CAPVT I.

*De praequisitis in Confessario, antequam au-
diat confessiones.*

- Articulus I. **D**E ordine requisito ad confessiones
excipiendas. 85.
Articulus II. *De iurisdictione necessaria ad audien-
das*

ET ARTICVLORVM.

das confessiones.	86.
Articulus III. <i>Quibus modis delegetur iurisdictio.</i>	89.
Articulus IV. <i>De usu iurisditionis non impedito per censuras.</i>	94.
Articulus V. <i>De usu iurisditionis non impedito per casuum reservationem.</i>	69.
Articulus VI. <i>De Vsu iurisditionis non impedito, defectu approbationis.</i>	101.
Articulus VII. <i>De quibusdam aliis in Confessario praequisitis.</i>	105.

CAPVT II.

Derequisitis in Confessario, quando actu confessiones audit.

Articulus I. <i>N</i> <i>Oranda Confessario, circa confessionem, & dolorem poenitentis.</i>	107.
Articulus II. <i>De occasionibus peccatorum.</i>	108.
Articulus III. <i>In quo alia duo dubia expenduntur.</i>	111.
Articulus IV. <i>De impositione poenitentia.</i>	113.
Articulus V. <i>De absolutione Sacramentali.</i>	118.

CA-

INDEX CAPITVM

CAPVT III.

De requisitis in confessario, post auditam confessionem.

Articulus I. **D**E sigillo confessionis. 123.

Articulus II. *De usu notitia per confessionem acquisita.* 126.

Articulus III. *De defectu in audienda confessione commisso.* 129.



OPVSCVLVM III.

De censuris Ecclesie.

CAPVT I.

De censuris in genere.

Articulus I. **Q**uid, & quotuplex sit censura, & à quo infligi possit. 130.

Articulus II. *In quos censura ferri possit, & qua de causa.* 134.

Articulus III. *Quomodo multiplex censura incurratur & quid dicendum de mandantibus, & consulentibus.* 138.

Articulus IV. *De loco in quo censura ferri potest, & in quo contrahitur.* 142.

Articulus V. *De causis excusantibus ab incurse censura.* 145.

Arti-

ET ARTICVLORVM.

- Articulus VI. De forma seu ritu ferenda censura, & de valore illius. 149.
Articulus VII. De eo qui potest absoluere à censura. 152.
Articulus VIII. De absolutione à censura. 155.
-

CAPVT II.

De excommunicatione in genere.

- Articulus I. DE primo, & secundo effectu maioris excommunicationis. 160.
Articulus II. De tertio, & quarto effectu excommunicationis. 163.
Articulus III. De quinto, & sexto effectu excommunicationis. 167.
Articulus IV. De septimo effectu excommunicationis. 171.
Articulus V. De aliis effectibus excommunicationis. 177.
Articulus VI. De minori excommunicatione. 179.
-

CAPVT III.

De excommunicationibus in particulari.

- Articulus I. DE excommunicationibus Papa in decreto reseruatis. 182.
Articulus II. De excommunicationibus Papa in decretalibus reseruatis. 188.
Articulus III. De excommunicationibus in 6. decretalium, & in Clementinis, Papa reseruatis. 190.
Arti-

INDEX CAPITVM.

- Articulus IV. De excommunicationibus Papa re-
seruatis in extrauagantibus. 221. Ep
Articulus V. De excommunicationibus Papa re-
seruatis in bulla cœna. 200. pos
Articulus VI. De excommunicationibus extra cor-
pus iuris canonici, & bullam cœna summo Pon-
tifici reseruatis. 207. Artic
Articulus VII. De excommunicationibus Papali-
bus nemini reseruatis, ac primò de iis qua ut plu-
rimum sunt communes omnibus personis. 212. 24
Articulus VIII. De excommunicationibus speciali-
bus contra Ecclesiasticas personas Papa minimè
reseruatis. 218. Artic
Articulus IX. De excommunicationibus Speciali-
bus contra Magistratus, & Doctores non reserua-
tis. 220. Artic
Articulus X. De censuris summo Pontifici in Gal-
lia reseruatis. 223. Artic
Casus Reuerendissimo Archiepiscopo Parisiensi re-
seruati. 225. Artic
Artic

CAPVT IV.

De suspensione, depositione, & degra-
datione.

- Articulus I. De natura, & effectibus suspensio-
nis. 228. Artic
Articulus II. De suspensionibus contra clericos latè
ob malam ordinis susceptionem. 233. Artic
Articulus III. De reliquis suspensionibus clerico-
rum, quas ob alia delicta incurrunt. 235. Artic

ET ARTICVLORVM.

- bus Papa
221. **Articulus IV.** De nonnullis suspensionibus contra
Episcopos, aliosque Pralatos latis. 239.
us Papa re
200. **Articulus V.** De aliis suspensionibus contra Episco-
pos, & iudices Ecclesiasticos latis. 242.
extra cor.
mmo Pon-
107. **Articulus VI.** De suspensionibus ad Religiosos spe-
stantibus. 245.
es Papali-
ua ut plu-
15. 211.
s speciali-
e minime
216.
Speciali-
referua-
220.
i in Gal-
223.
sensi ri-
225.

CAPVT V.

De interdicto.

- Articulus I.** DE natura interdicti, & variis il-
lius speciebus. 249.
Articulus II. De primo effectu interdicti. 252.
Articulus III. De secundo effectu interdicti. 255.
Articulus IV. De tertio effectu interdicti. 256.
Articulus V. De peccatis, & pœnis violantium
interdictum. 258.
Articulus VI. De interdictis in particulari, qua iu-
re ipso contrahuntur. 262.
Articulus VII. De ablatione interdicti. 263.
Articulus VIII. De cessatione à Diuinis. 298.

CA-

INDEX CAPITVM.

CAPVT VI.

De irregularitate.

Articulus I. **D**E irregularitate in genere 266
Articulus II. De irregularitatibus
provenientibus vel ex aliquo defectu, vel ex
delicto. 267



SVMP

Omnes Fideles &c Missas 2. ex praxi Ecclesia ubique recepta, quam Catholici omnes vim legis habere existimant Ratio verò institutionis est, quia cum Ecclesia Festa instituerit ad colendum Deum, consentaneè ad hunc finem obtinendum iussit, vt tunc homines ab operibus seruilibus vacarent de quo diximus in Summularum parte, & Missarum Sacrificio deuotè interessent.

Hoc Præceptum cum sit de re grati, ita communiter intelligitur, vt obliget sub mortali. Quo fit vt sine causa legitima Sacrum de Festo omittens, peccet mortaliter toties quoties; et am si illud non prætermittat ex contemptu, aut praua consuetudine, sed ex mera negligentia vel vt studio, aut rei alteri non necessaria operam det. Nec excusatur per se loquendo mortali, qui Missam omittit vt concioni intersit; cùm illa sit de præcepto, hæc tantum de consilio. Dico per se loquendo, nam interdum potest excusari, vt infra dicitur.

Quando festum aliquod die Dominica occurrit, vnum tantum peccatum mortale perpetratur, qui tunc sine causa Sacrum non audit. Quia etsi hic sint duo Præcepta Missam audiendi, ea non distinguuntur formaliter, sed tantum materialiter; cùm sub eadem ratione formali colendi Deum, idem vtroque præcipiatur. Vnde vtrumque violans vnum tantum peccatum committit.

Qui tamen ex voto, simulque ex Præcepto Ecclesia tenetur aliquo die Sacro interesse, duplicis peccati mortalis maculam contrahit, Missam tunc non audiendo: quia concurrunt duæ obligationes diuersæ rationis, altera Religionis, altera obedientiæ. Ad eum modum quo Sacerdos Beneficiarius officium diuinum sine causa legitima prætermittens, duo peccata mortalia committit, vnum contra Religionem, alterum contra iustitiam.

Hoc Præcepto audiendi Missam ligantur omnes baptizati, cuiuscunque sexus, conditionis, vel ætatis sint, modo ad

annos

annos discretionis peruenerint. Vnde ad hanc obligationem contrahendam requiruntur duæ conditiones, & sufficiunt; altera, ut quis sit baptizatus, nam ante baptismum homo est extra Ecclesiam, cuius proinde legibus teneri non potest; altera, ut ratione utatur, qui enim rationis usum nondum habent, vel eo priuati sunt, Præcepti capaces esse nequeunt.

Non potest certum tempus assignari, in quo infantes incipiant obligari ad obseruantiam huius Præcepti; cum usus rationis aliis citius, aliis tardius illucescat. Indicium autem erit eos obligari, cum primū constabit eos discernere inter bonum, & malum, & esse capaces peccati mortalis; quod totum prudentia Confessarij relinquatur. Ex his autem constat, non esse audiendos qui dicunt, infantes non ligari hoc Præcepto, aliisque Ecclesiasticis ante annos pubertatis; hoc enim communi Theologorum sensui, & totius Ecclesiæ praxi omnino repugnat.

Præceptum audiendi Missam obligat omnibus diebus Dominicis, & Festis siue ab Ecclesia, siue ab Episcopo, institutis; siue per consuetudinem tacite, vel expresse à Superioribus Ecclesiasticis approbatam, & tanquam obligantem sub peccato receptam, adhucque vigentem, inductis; hæc enim habet vim legis, quando legitime præscripta est, ut alibi diximus.

Nemo tamen tenetur audire Missam diebus festis à Principe seculari, ob causam aliquam temporalem v. c. ob natiuitatem filij, vel ob partam victoriam institutis. Cum potestas ad hæc obligandi sit Ecclesiastica, & spiritualis, qualem non habent Principes seculares.

Festa quæ non à toto populo, sed ab aliqua illius parte seruantur, non obligant sub peccato ad Missam audiendam; ut sunt aliqua festa quibus Scholares à publicis Lectionibus vacare solent. Etsi enim dies illi eis concedantur in honorem alicuius Sancti, ut rebus

Diuinis melius vacent, non tamen, nisi ex consilio
Missam audire tenentur.

Et si populus laudabiliter concioni, & diuinis of-
ficiis diebus festis interfuit, ad hoc tamen non tenen-
tur sub peccato, cum nullum ea de re præceptum ex-
tet. Nec puto consuetudinem quæ fere vbiq[ue] viget
in Gallia, assistendi Vesperis, sub peccato obligat-
alis enim consuetudo nunquam est introducta,
sub peccato obligans, sed tantum vt ex deuotione
seruanda Neque Confessari, etsi pij & docti, ea de re
penitentibus scrupulum iniicere solent.

Licet rationi valde consentaneum sit, vt fideles sa-
pe Missam in propriis Parochiis audiant; Theologi
tamen communiter aduertunt, eum satisfacere præ-
cepto Ecclesie de audienda Missa, qui eam audit ex-
tra propriam Parochiam, siue in Parochia aliena, siue
in Ecclesiis Regularium, siue in aliquo oratorio pri-
uato, vt constat ex communi consuetudine vbiq[ue]
recepta, & à Summis Pontificibus, etiam Romæ, ap-
probata.

Notandum tamen ex Bulla Leonis X. omnes Christi-
fideles vtriusque sexus, qui non contempto proprio
Parocho, in Ecclesiis Mendicantium Dominicis &
aliis Festis diebus Missas audiunt, satisfacere præ-
cepto Ecclesie de audienda Missa. Ex qua limitatione
videtur intelligi, eum qui per contemptum proprio
Parochi Missam audit in Ecclesiis Mendicantium,
non modo peccare mortaliter ratione contemptus,
sed etiam non satisfacere præcepto Ecclesie de au-
dienda Missa; adeoque teneri aliam in propria Paro-
chia audire, etsi aliqui oppositum sentiant.

Hoc autem intelligitur communiter de proprio &
formali contemptu, vt si coniunctus sit cum verbis
contumeliosis in Parochum iactatis. Vnde falluntur
qui putant, eum non satisfacere præcepto Ecclesie
de audienda Missa, qui sine licentia Parochi Missam
audit in Ecclesiis Mendicantium, cum aliud sit pro-
prium Parochum contemnere, aliud licentiam ab eo
non petere, vt perspicuum est. AR-

ARTICVLVS II.

Ad quid hoc Præceptum obliget.

PRÆCEPTVM Ecclesia non obligat nisi ad audiendam unam Missam, etiam in die Natalis Domini. Nec ut huic præcepto satisfiat, refert an sit Missa latina, an græca; vel alterius Idiomatis ab Ecclesia approbati: neque an sit Missa propria illius diei, sufficit enim dummodo Missam audias.

Ex præcepto audiendi Missam tenemur integram Missam audire, adeo ut sit peccatum mortale partem illius notabilem, sine causa omittere. Est autem difficultas quam pars Missæ notabilis censeatur, qua in re varij sunt dicendi modi sed ille videtur probabilior, & in praxi sequendus qui ait, omissionem Evangelij cum antecedentibus sufficere ad peccatum mortale, etsi reliqua omnia audiantur.

Quoniam non caret probabilitate quod aliqui aiunt, non esse obligationem audiendi duo Evangelia in vna Missa, adeoque satisfieri præcepto Ecclesiæ, si quæ immediatè sequuntur post primum Evangelium audiantur, cum reliquis vsque ad vltimum Evangelium inclusivè. Verùm hoc in praxi minimè consulendum arbitror, cum non careat periculo. Quod autem aliqui dicunt, eum qui Evangelium non audiuit, satisfacere si priuatim illud recitet, minimè audiendum est; cum hæc recitatio non possit spectare ad integritatem Missæ.

Etsi non pauci existiment, eum satisfacere Præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, qui audit priorem partem Missæ ab vno sacerdote, posteriorem ab alio; oppositum tamen videtur nobis probabilius, tum quia tenemur vnâ & integram Missam audire, at certè ex duabus medietatibus duarum Missarum non coalescit vnâ & integra Missa; tum quia aliàs posset quis satisfacere huic præcepto, simul audiendo

primam medietatem vnius Missæ, & secundam medietatem alterius. Imò si vnus Sacerdos primam partem Missæ diceret, quamdiu alius recitat secundam, alius tertiam, & alius quartam, quatuor istas partes eodem tempore audiens, præceptum de audienda Missa censeretur implere; quod mihi valde absurdum videtur.

Licet non sit peccatum mortale aliquam partem minime notabilem Missæ scienter, & sine causa omittere, est tamen peccatum veniale, eoque grauius quo pars omissa est maior. Verum excusantur qui aliquas Missæ particulas coguntur prætermittere, ut Thus, vel ignem deferant, aliaue ministeria exequantur.

Ut satisfiat præcepto audiendi Missam, requiritur præsentia corporalis, ea tamen non sufficit, nisi ad id quod agitur attendatur, ita vt vel verba audiantur, vel ceremoniæ videantur, vel si neutrum percipi potest, ad res diuinas quæ tractantur, attentio feratur. Vnde cæcus satisfacit verba audiendo, surdus ceremonias videndo; qui verò simul cæcus, & surdus est ad rem sacrâ quæ peragitur attendendo; quantum saltem sufficit, vt censeatur sacrificio moraliter præfens.

Aliquorum est sententia non improbabilis, eum satisfacere huic præcepto, qui toto tempore Sacri voluntarie distrahitur, non attendendo ad ea quæ peraguntur, dummodo non faciat opus aliquod externum incompatible cum præsentia modesta & religiosa Sacrificio debita. Verum sententia opposita vt longè tutior est, ita & probabilior, ac communior; adeoque in praxi sequenda, vt in simili dictum est in Idea Theologiæ Moralæ, vbi de horis Canonicis. Ecclesia enim præcipit assistentiam moralem, & religiosam, qualis non est si animus continuo ad alia distrahitur; ita vt ad mysterium quod celebratur nullo modo attendat.

Nec propterea existimes, eum non satisfacere præcepto

cepto audiendi Missam, qui quam diu Sacrificio assistit, horas Canonicas persolvit. Quamvis enim hinc intentio ad Missam requisita paululum minuatur, adhuc tamen mediocriter attentio ad illam potest adhiberi; quod sufficit ut satisfiat præcepto de audienda Missa, sicut etiam sufficit Præcepto de horarum recitatione, si recitans mediocriter attentus sit.

Non tamen puto eum Præcepto satisfacere, qui quam diu Missa celebratur peccata sua confitetur, ita ut interim notabilis pars Missæ præterlabatur. Ille enim tunc non censetur moraliter præsens Sacrificio, cum ad illud nullomodo attendat. Et idem dic de illo qui tempore Missæ conscientiam suam adeo accuratè examinatur, ut non attendat ad ea quæ à Sacerdote peraguntur, adeoque non nisi corpore sit præsens Sacrificio

Ut satisfacias Præcepto audiendi Missam, non opus est ut habeas voluntatem expressam tali Præcepto satisfaciendi. Unde si audis Sacrum cum attentione debita, satisfacias Præcepto, etsi ignores esse diem festum, adeoque careas voluntate expressa satisfaciendi: siquidem non obstante tali ignorantia, id quod præceptum est liberè exequeris.

Quod si quis sciens esse diem festum. Sacrum cum sufficienti attentione audiat, expressè tamen intendat non satisfacere Præcepto Ecclesiæ, tunc aliqui probabiliter existimant, eum tali actu Præcepto non satisfacere, adeoque teneri aliud Sacrum audire. Verum etsi ille ex communi sententia peccet mortaliter contra præceptum naturale divinum, quo tenemur obedire Superiori iusta præcipienti, probabilius tamen videtur, eum præcepto Ecclesiæ satisfacere; eo quod voluntas illa qua vult præcepto non satisfacere, non impedit quin ponatur actus præceptus, nimirum auditio libera Missæ. Non enim præceptum est, ut Missam audiendo intendas satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed tantum ut actu Missam cum libertate, & attentione requisita audias.

Communis est sententia, hominem posse interdum

fatisfacere præcepto per actum de se bonum, ex circumstantia tamen aliqua ab operante vitiatum, ut si quis cum tenetur dare eleemosynam, eam det ex vanagloria. Atque hæc generalis doctrina facile applicari potest ad Missæ auditionem, si ut per illam præcepto satisfiat, nulla requiritur attentio, vel devotio interna ut quidam arbitrantur. Imò in communi sententia, quæ exigit attentionem internam, illa duo simul coherere possunt, nimirum quod quæ ex pravo fine v. c. ad furandum, Ecclesiam adeat, & quod Missæ cum sufficienti intentione intersit. Unde ille implet præceptum Ecclesiæ, etsi peccet mortaliter.

Famuli, & pueri qui ab heris, & parentibus in Ecclesia detinentur inuiti, quandiu Missa celebratur, aliàs non audituri, peccant mortaliter ob pravam illorum affectum: at nihilominus præcepto satisfaciunt, si cum attentione requisita intersint. Si tamen omnino per vim, voluntate eorum positivè renitente, retinerentur, Præcepto nequaquam satisfacerent, quia talis præsentia non esset humana, & libera, quæ requiritur ad impletionem præcepti.

Possumus licitè Missam audire à Sacerdote, quem scimus versari in peccato mortali; imò & ab illo petere ut Missam celebret, si alius non adsit qui dignè sit celebraturus. Quia rem ex se bonam petimus, quam ille dignè exequi potest, si velit, & debet. Nec tenemur nos priuare commodo aliquo spiritali aut temporali, quod ex Missa speramus, ut peccatum proximi vitemus; sicut non tenemur abstinere à petitione mutui, etsi sciamus mutuam v. c. a nobis exacturum. Loquor de Sacerdote qui scilicet non habet impedimentum peccati mortalis, nam si præterea censura aliqua obstructus sit, an licitè Sacramenta ab eo peti possint, dicitur infra vbi de censuris.

ARTICVLVS III.

De causis ob quas à Missa audienda Fideles excusantur.

MVLTA sunt causæ excusantes à Præcepto Missam audiendi. *Primò excusat impotentia corporalis*, dum scilicet non potest quis ob ægritudinem locum adire in quo Sacrum celebratur, aut si potest, non tamen sine periculo morbum augendi, aut relabendi.

Secundo excusat impotentia moralis, cum scilicet non potest quis Missam audire, sine graui damno temporalis, proprio, vel alieno: quæ ratione excusantur custodes arcium, ouium, armentorum, vinearum, vetchores mercium, & similes, quando non possunt res sibi commissas sine periculo ad tempus dimittere, vt Sacro intersint. Quo modo etiam excusantur *nutrices*, quæ infantes quos lactant ad Ecclesiam deferre non possunt, nec sine periculo domi relinquere. Item *iter agentes*, quando si Sacrum audiant, periculum est ne socios itineris amittant, indeque damnum aliquod percipiant, quia viam ignorant, latrones timent, &c.

Tertiò excusat impotentia spiritualis, vt si quis sit excommunicatus, vel interdictus: ille enim etsi sit toleratus, non potest cum aliis communicare in diuinis, quamuis alij cum illo communicare possint, quando est toleratus. Hoc autem procedit, quando non stat per illum quin à censura absoluat, tunc enim peripicuum est eum non teneri audire Sacrum.

Sed quid si absolutionem obtinere negligat? Alii dicunt quòd etsi tunc peccet mortaliter, non procurando absolutionem à censura, cum potest eam obtinere; ex hypothesis tamen quòd eam non procuret, non obligatur Præcepto audiendi Missam, adeoque contra illud non peccat Missam non audiendo. Et inde colligunt, carcere detentos non teneri

Missam audire, etsi non nisi per eos stet, quin ab e
vinculo se expediant. Quia Præceptum Ecclesie
audienda Missa non obligat ad tollenda eiusmodi
remota impedimenta, sed ut cum amota fuerint
Missam audiatur. Verum si hæc, & similia impedimen-
ta facile tolli possunt, & per meram incuriam non
tolluntur, durum videri potest quod ea non tol-
lens ut Missam audiat, cogitans de ea audienda, non
peccet contra præceptum Missam audiendi, nec te-
neatur in confessione de eo arare, se die Festo Missam
non audivisse, cum facile posset.

Nonnulli probabiliter existimant, eum qui tem-
pore interdicti habet privilegium audiendi Missam
non teneri eam audire diebus Festis. Verum alij pro-
babilius oppositum docent, quia per interdictum
non tollitur præceptum, de audienda Missa, sed ap-
ponitur impedimentum excusans ab impletione il-
lis præcepti. Quare ablato per privilegium eo im-
pedimento, iam præceptum incipit de novo vi-
suam exercere, & obligare. Nec mirum quod quis
teneatur uti suo privilegio, quando usus ille est ne-
cessarius, ut impleatur præceptum sub mortali obli-
gans, ut hic contingit.

*Ab hoc Præcepto excusat non solum impotentia spiri-
tualis propria, sed etiam aliena.* Unde mater filia pe-
riculum timens, si Ecclesiam adeat, potest cum illa
domi manere, quandiu Missa celebratur. Puella vero
honestaque scit se inhonestè concupiscendam, si
ad templum vadat, potest ut ruinam proximi ca-
veat, ab auditione Sacri interdum abstinere; non
tamen ad id tenetur, cum utatur iure suo. Dico in-
terdum, nam longo tempore ab ingressu templi ab-
stinere, ad vitandum peccatum alterius, nullo modo
licitum videtur.

*Quarto excusat obedientia, ut cum famulus Missam
omittit, ne heri morosi à quo alias malè habere-
tur, iussa detractet. Si tamen nullum imminet
græve incommodum, tenetur famulus Missam au-
dire.*

dire, potius quàm quod ab heo ipsi præceptum est, exequi. Hinc etiam non debet fœmina Missam die Festo omittere, etsi timeat se propterea à marito verbis duriusculis excipiendam. Ea enim non est causa sufficiens, vt præceptum sub mortali obligans prætermitti possit.

Quinto excusat consuetudo, qua ratione excusantur mulieres, quæ aliquo tempore post mortem mariti domo non exeunt. Quod aliqui ita extendunt, vt liceat viduis per integrum annum domi se continere, etsi interim Missam non audiant, si talis est loci consuetudo, vt sine iactura honoris citius exire non possint. Ex hoc etiam capite excusari possunt fœminæ, quæ aliquo longiori tempore à partu domo egredi non solent, iuxta loci consuetudinem; est opus citius sine periculo corporali foras prodire.

Sexto excusat charitatis opus, vt cum aliquis ne infirmum deserat, Missam omittit. Non est autem necesse vt infirmus sit in extremo vitæ periculo, sed sufficit quod grauius ægrotet, & medicamentum vel cibus ei porrigendus sit, circa tempus Celebrationis Missæ, neque sine incommodo differri possit. Imò probabile est Præceptum audiendi Missam, cum sit merè humanum, non adeo stricte obligare, quin tibi liceat Sacrum omittere, quando grauius ægrotans instanter rogat ne eum deserat; ita vt non sine aliqua molestia, & animi anxietate absentiam tuam passurus sit.

Hinc autem à fortiori colligitur, hominem iuste excusari à Præcepto audiendi Missam, non modo quando tenetur ex Præcepto confiteri, nec potest vtrique Præcepto satisfacere, sed etiam quando sine graui damno spirituali, non potest differre cōfessionem alioqui minime præceptam, vt contingeret si quis in tubilæo non posset a grauibus peccatis absolutionem obtinere, nisi Sacrum in die Festo omitteret. In hoc enim casu aliisque similibus, Charitas

baptizatos ad hoc non teneri, cum peccata Baptis-
mum antecedentia per Baptismum tollantur, nec
sint materia Confessionis Sacramentalis. Secundo
baptizatum qui habet tantum peccata venialia, non
teneri ex Præcepto Diuino ad hoc Sacramentum ac-
cedere, cum eiusmodi peccata aliis modis remitti
possint. Tertio eos omnes qui sibi conscij sunt pec-
cati mortalis, post Baptismum commissi, teneri ad
susceptionem huius Sacramenti, ex vi Præcepti Di-
uini; adeoque infantes ad illud obligari, cum pri-
mum sufficientem habent deliberationem ad pec-
candum mortaliter.

Dico 2. eum obligari, si habet copiam Sacerdotis,
vt innuam deficiente Sacerdote, hominem in pericu-
lo, vel articulo mortis constitutum, non teneri
peccata sua manifestare non Sacerdoti, cum à solo
Sacerdote eorū absolutionem validè obtinere pos-
sit. Ille tamen poterit obtinere remissionem pecca-
torum, & saluari per actum contritionis. Quare cum
in bello, & aliàs sæpe contingat homines non habe-
re copiam Confessarij, quando è vita excedunt, mo-
nendi sunt pœnitentes vt in eo calu, si fortè occur-
rat, conentur se excitare ad detestationem peccato-
rum omnium mortalium, quibus obstricti sunt, in-
tuitu infinitæ Bonitatis Dei per illa peccata summè
offensi, & non tantum, ex metu incurrendi pœnas
tartareas, vel æternam Beatitudinem amittendi.
Quamuis enim posterior iste metus sit bonus & lau-
dabilis, sufficiatque ad iustificationem quando eum
coniunctus est, solus tamen extra confessionem non
confessione debito, & Sacramentali absolutione
sufficit, vt homo remissionem peccatorum morta-
lium obtineat; adeoque tenetur peccator in pericu-
lo mortis, deficiente Confessario, actum veræ con-
tritionis elicere, seu de peccatis dolere, quatenus
sunt offensa Dei summè boni, & amabilis.

Dico 3. Præceptum, illud obligare non tantum in
mortis articulo, cum scilicet quis iamjam moritu-

rus est, sed etiam in mortis periculo, vt dum quis bellum aggreditur, aut periculosam nauigationem suscipit, aut transit per loca grassatoribus infestata, aut dum mulier parit saltem prima vice, imò & alias si prius experta est periculum. Ex quo intelligitur, cum qui postquam in graui morbo confessus est, peccat mortaliter, teneri iterum confiteri, si adhuc durat periculum.

Dico 4. ex vi præcepti Diuini, peccatorem in periculo constitutum, teneri ad validam confessionem, quare hoc præceptum non impletur per confessionem inuvalidam, siue inuvaliditas oriatur ex parte penitentis, quia culpabiliter prætermittit aliquid necessarium ad valorem confessionis, siue ex parte absoluentis, quia non profert verba necessaria ad absolutionem, vel non cum debita intentione: tunc enim non ponitur res præcepta quoad substantiam: vnde & si non imputetur penitenti defectus qui oritur ex parte Confessarii: ille tamen tenetur per se loquendo, iterare confessionem vt denuò absoluaatur.

Vt autem quæ dicta sunt de necessitate contritionis in articulo mortis eliciendæ, quando deest Confessarius, clariora euadant, nonnulla obseruanda sunt, 1. constitutum in articulo, vel periculo mortis, non teneri elicere actum contritionis, circa peccatum mortale de quo cum sufficienti attritione confessus fuit. Quia iam per Sacramentum à tali peccato iustificatus est.

Obseruandum 2. peccatorem in dicto statu constitutum posse iustificari per vnum actum contritionis, qui generatim feratur in omnia peccata, nec opus esse vt circa singula peccata singulos contritionis actus eliciat. Vnica enim detestatio peccatorum omnium ob Deum summè dilectum æquualet multis singularibus detestationibus, imò longè vtilior est, cum omnia peccata comprehendat, etiam ea quorum non habetur memoria: cuius oppositum contingit in singularibus detestationibus.

Vnde

Vnde patet veram peccatorum contritionem in momento haberi posse.

Observandum 3. ad veram contritionem non requiri; quod sit absolutè summa intensiue; quia nulla datur contritio adeo intensa, quin intensior dari possit. Neque quod sit intensiue summa comparatiue, ita scilicet vt homo intensius seu maiori conatu & affectu peccatum detestetur, quàm quodcumque aliud malum. Sic enim longè intensior requiretur contritio ad iustificationem, in eo qui ob mortem filij aut parentis, intenso aliquo dolore tangitur, quam in illo qui nullo tali actu afficitur, quod cum aliquo fundamento dici non potest. Quare ad veram contritionem non alia intensio necessaria est, quàm quæ ad ipsam actus substantiam requiritur. Sic enim est actus entitatiue supernaturalis, ad obtinendam peccatorum remissionem sufficienter per se ipsum proportionatus.

Observandum 4. ad veram contritionem requiri, quod sit summa appretiatiue, ita vt quamuis voluntas non detestetur peccatum maximo & intensissimo conatu aut etiam actu intensiori, quàm aliquod malum temporale; mallet tamen quodcumque aliud malum subire, quàm Deum offendere; eo quod pluris æstimat amicitiam diuinam, quæ peccato violatur, quàm quæcumque bona creata, quibus alia mala priuant.

Quomodo autem dolor, qui est summus appretiatiue, non etiam sit summus intensiue, intelligi potest exemplo fœminæ, quæ magis intense dolet de morte filij, quàm de morte mariti, & minùs appretiatiue, eo quod maritum pluris æstimat.

ARTICVLVS II.

De Præcepto Ecclesiastico confitendi peccata.

PRÆTER Præceptum diuinum obligans ad confessionem in articulo mortis, datur Præceptum

Es-

Ecclesiasticum obligans ad confessionem annuam, adeo ut ex vi illius teneantur omnes Fideles utriusque sexus, semel singulis annis confiteri omnia peccata mortalia, quorum habent conscientiam, ut patet ex Concilio Lateran. cap. *Omnis utriusque*, & ex Trident. Sess. 14. Can. 8. & ex consuetudine ubique recepta.

Et si nonnulli dicant, pueros ante annum duodecimum hoc Præcepto Ecclesiastico non obligari, communis tamen & sequenda sententia est, eos obligari statim atque peccati mortalis sunt capaces; quod non tam ex annorum numero, quam ex iudicij maturitate pensandum est.

Qui nullius peccati mortalis sibi conscius est, non tenetur ex vi huius Præcepti Ecclesiastici confiteri, & si multa peccata venialia admiserit, ut ex dictis sufficienter colligi potest. Cùm tamen quisque teneatur Eucharistiam sumere in Paschate, rationi valde consentaneum est, ut carens peccatis mortalibus, non accedat tunc ad Sanctissimum Sacramentum, nisi præmissa confessione venialium. Maxime si non possit sine scandalo confessionem omittere.

Nonnulli existimant huic Præcepto Ecclesiastico satisfieri, per confessionem defectu doloris inuvalidam, & sacrilegam. Verùm hoc meo iudicio caret probabilitate, nulloque modo in praxi sequendum est, quia præceptum confessionis substantialiter est diuinum, & quoad solam temporis determinationem Ecclesiasticum; ex præcepto autem diuino tenetur homo integre, & validè, quantum est ex se, confiteri, ut ante dictum est. Unde publici peccatores ad confessionem admissi, non satisfaciunt Præcepto annuæ confessionis, si ob defectum sufficientis dispositionis sine absolute dimittantur, adeoque iterum confiteri debent.

Imo existimo non satisfieri huic Præcepto, licet defectus oriatur ex parte sacerdotis, ut in simili ante dictum est. *Observandum* tamen est discrimen inter

ter hunc, & præcedentem casum, quòd culpabiliter faciens confessionem inuvalidam, subiacet pœnis Ecclesiasticis latis contra transgressores huius præcepti; non autem qui bona fide ad hoc Sacramentum accedens, culpâ Sacerdotis non absoluitur, quia pœna non imponitur nisi propter culpam.

Annus intra quem Præceptum hoc obligat, computatur à nonnullis à prima die Ianuarij, vsque ad diem ultimam Decembris; Ita vt quouis anni die huic præcepto satisfieri possit. Tutius tamen est annum computare ab vno Paschate ad aliud, vt etiam in praxi seruari solet.

Quorundam est sententia, eum qui non impleuit præceptum confessionis vno anno, non teneri statim initio sequentis illud exequi. Oppositum tamen tenendum est, quia vt satis colligitur ex communi Doctorum sensu, Ecclesia non sic determinauit tempus confessionis, vt eo elapso præceptum non amplius vigeat, vt fit in præceptis audiendi Missam, ieiunandi, & similibus, quæ certo diei affixa sunt, neque amplius obligant; sed vt ostendat quantum confessio differri licitè possit. Quare qui vno anno non est confessus, toties peccat mortaliter, quoties anno sequenti oblatam occasionem confitendi negligit. Tenetur enim prima data occasione confiteri, si commode potest; vnde tunc sine causa confessionem prætermittens, violat præceptum obligans sub mortali, & sic de singulis occasionibus sequentibus. Qui tamen in mortis periculo confessionem omisit, non tenetur eo elapso confiteri, vt præcedenti obligationi satisfaciat.

Qui hoc anno confitetur, vt satisfaciat obligationi anni præcedentis, tenetur iterum antequam iste annus elapsus sit, confiteri, si contingat eum incidere in peccatum mortale. Prima enim confessio veluti retrahitur ad annum præcedentem, adeoque non magis sufficit ad extinguendam obligationem anni currentis, quàm si anno elapso facta esset. Præ-

sertim

fertim quia Ecclesia obligans te singulis annis ad confessionem, intendit tibi hoc anno imponere obligationem distinctam, ab obligatione anni praecedentis: quo fit ut nequeas utriusque simul, eadem confessione satisfacere.

Similiter tenetur, ex communi sententia, confessionem anticipare, qui prauidet se reliqua anni parte non habiturum copiam Confessarii; Sicut ille tenetur hora 6. Missam audire, qui prauidet se reliqua die impediendum, ne Sacro assistere possit.

Cum venialium confessio non sit de pracepto, qui sola venialia confitetur, si post modum incidat in mortale, tenetur eo ipso anno illud confiteri. Contra vero si quis initio anni peccatum mortale confessus est, etsi iterum incidat in mortale, non tenetur ex vi huius praep. i illud confiteri ante finem anni; quamuis oppositum sit tutius, & consulendum. Dico ex vi huius praep. i, nam ut communicet, tenetur sacramentaliter confiteri.

Qui in confessione annua inculpabiliter omittit aliquod peccatum mortale, non tenetur iterum confiteri, statim atque memoria talis peccati occurrit, sed potest illius confessionem differre vsque ad annum sequentem. Quia cum fecerit confessionem formaliter integram, & absolutionem valide obtinuerit, praep. i satisfecisse censetur.

Ex iure constat eos qui transgrediuntur praep. i annuae confessionis, ab ingressu Ecclesiae arcendos esse, & priuandos Ecclesiastica sepultura. Quod fieri nequit nisi per sententiam iudicis, adeoque ex hypothesi quod peccatum in iudicio probetur.

Quamuis ex iure communi, non imponatur poena excommunicationis transgressoribus huius praep. i, ipso facto incurrenda, imponitur tamen iure particulari in variis Diocesis, & consequenter ibi incurritur cum primum peccatum commissum est, licet exterius probari nequeat.

Etsi peccent infantes, qui post sufficienter adeptum

tumrationis vsum, Ecclesiasticum præceptum annuæ confessionis scienter violant, non tamen pœnas iam dictas ante annos pubertatis incurrunt, ex probabiliori sententia, quæ etiam pueros Clericos se mutuo percutientes, excommunicatos negat, magisque verberibus, quàm absolutione indigere affirmat.

ARTICVLVS III.

De dolore ad veram confessionem requisito.

VT valeat confessio, tenetur pœnitens dolere de peccatis commissis, adeo vt non satisfaciat Præcepto siue diuino, siue Ecclesiastico, si peccata recitet sine intimo sensu doloris, sed per modum cuiusdam historię.

Qui vult peccata confiteri, debet se excitare ad verum & formalem dolorem peccatorum, eumque supernaturalem, quiue coniunctus sit cum voluntate efficaci, seu firmo proposito non peccandi de cætero. Vnde non sufficit dolor aliquis tantum virtualis, nec ex motiuo aliquo naturali excitatus, nec qui cum simplici velleitate non peccandi coniunctus est. Non tamen requiritur expressum & formale propositum vitandi peccata, sed virtuale sufficit, inclusum in ipsa detestatione peccatorum præteritorum. Nec necesse est quod pœnitens credat se amplius mortaliter non peccaturum, sed sufficit quod firmiter proponat vitare, cum diuino auxilio, omnia peccata mortalia.

Et si peccator cum accedit ad confessionem, debeat conari ad concipiendam veram contritionem peccatorum, valebit tamen illius confessio, effectūque obtinebit, si accedat cum vera attritione supernaturali, per fidem concepta ex metu gehennæ, vel ex amore cœlestis beatitudinis. Ille enim est communis Ecclesiæ sensus, vt apertè sumitur ex Concilio Trident. Sess. 14. Cap. 4. & oppositum ab Vniuersitate

uerſitate Pariſienſi anno 1638. damnatum fuit hiſ
 verbis: *quæ tradit de attritionis inſufficientia, & contri-
 tionis ex perfectâ charitate absoluta neceſſitate, ad reci-
 piendum Sacramentum Pœnitentiæ: & quæ addit, & ap-
 probat de abſolutione, quod nihil aliud ſit quam declaratio
 luridica peccati iam remiſſi, damnauit quoque Facultas,
 & cenſuit has propoſitiones eſſe quietis animarum pertur-
 batiuas communi & omnino tute praxi Eccleſiæ contra-
 rias, efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ imminutiuas & in-
 ſuper temerarias, ac erroneas.*

Vnde audiendi non ſunt qui dicunt, denegandam
 eſſe abſolutionem pœnitenti, donec conſtet eum ve-
 rē cōtritum eſſe. Nam præterquam quod certò cog-
 noſci non poteſt, ſine ſpeciali reuelatione, an quis
 vera contritione præditus ſit, communis Doctorum
 piorum ſententia eſt, dandam eſſe abſolutionem
 pœnitenti attrito, dum modo Confefſario probabi-
 liter conſtet, illius attritionem habere has condi-
 tiones, quas requirit Concilium Trident. loco cita-
 to, nimirum quod voluntatem peccandi excludat, &
 ſit cum ſpe veniæ. Talis enim attritio eſt donum Dei,
 & Spiritus Sancti impuſus, non quidem adhuc in-
 habitantis, ſed tantum mouentis, quo pœnitens ad-
 intus viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamuis ſine
 Sacramento pœnitentiæ pe ſe ad iuſtificationem
 peccatorem perducere non poſſit, eum tamen ad
 Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetran-
 dam diſponit. Ita ſcilicet vt coniuncta cum actuali
 ſuſceptione Sacramenti, hominem vltimatè diſpo-
 nat ad iuſtificationem, quod ſeorſim extra Sacramē-
 tum præſtare nequit. Sic enim intelligendum eſſe
 Concilium patet, tum quia vult tribuere attritioni
 in Sacramento, quod ei denegat extra Sacramentum,
 nempe perducere hominem ad iuſtificationem. Tum
 quia extra Sacramentum attritio illa quam deſcri-
 bit, eſt diſpoſitio remota ad iuſtificationem; quare
 cum ait eam in Sacramento diſponere ad gratiam im-
 petrandam, id debet intelligi de diſpoſitione pro-
 xima.

xima. Tum quia aliàs absolutio Sacramentalis deberet semper supponere peccata esse remissa, adeoque ea per se nullam haberet vim remittendi peccata, sed tantum declarandi esse remissa; quod repugnat non modo prædicto Concil. sess. 14. Cap. 6 sed etiam verbis illis Christi Ioann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Quia in nostra, & communiori sententia, non valet hoc Sacramentum, nisi adsit dispositio necessaria ad effectum illius; confessio valere nequit, nisi dolor ei adiunctus se extendat ad omnia peccata mortalia quæ proponuntur, & ad alia commissa, si quæ inculpabiliter omittuntur. Eo quod nullum peccatum remittitur, nisi de eo quis doleat, & vnum mortale non remittitur sine alio. Vnde qui commisit adulterium, & furtum, & solum adulterium confitetur, ac de eo dolet propter specialem fœditatem illius, putata quia per illud fides coniugalis violatur, non absoluitur validè, etsi furtum inculpabiliter omittat. Quare instruendi sunt pœnitentes, vt quoties ad confessionem accedunt, dolorem concipiant ex motivo aliquo generali, quod saltem virtualiter se extendat, etiam ad peccata inculpabiliter prætermissa.

Et sic, vt exemplo res notior fiat, qui confitetur adulterium, non debet de illo tantum dolere, ob motivum illud speciale, de quo ante, sed quia per illud Deus summè bonus, & infinite amabilis graviter offenditur, vel vt minimum, quia adulterans priuatur æterna beatitudine, pœnisque tartareis addicitur. Ista enim motiva sunt generalia, & virtualiter extenduntur etiam ad peccata inculpabiliter omissa; si quidem qui dolet se commisisse adulterium, eo quod per illud Deus graviter offenditur, vel quia scit se per huiusmodi peccatum pœnas æternas mereri, profectò ex vi talis motivi censetur virtualiter detestari alia peccata mortalia, quorum non recordatur;

tur; cùm etiam eis Deus grauius offendatur, & pena aeterna parata sit. Vnde si eorum haberet memoriam, statim dolorem formalem de ijs conciperet. Contra verò qui dolet de adulterio commisso, solum quia per illud fides matrimonialis violatur, nõ censetur virtualiter dolere de furto inculpabiliter prætermisso, quia furtum non repugnat fidei matrimoniali. Itaque cùm sæpe contingat, aliquod peccatum mortale in confessione incogitanter mitti, vt illius remissio obtineatur, oportet vt pœnitens de ijs qua confitetur doleat, ex aliquo motiuo generali, quod etiam ad peccata ommissa virtualiter extendatur.

Et hoc quidem obseruandum est in confessione peccatorum mortalium. Quod verò spectat ad confessionem venialium, ea valida esse potest, etsi dolor ad illa omnia peccata se non extendat, sed tantum ad aliqua; eo quod vnum peccatum veniale remitti potest sine alio. Vnde qui confitetur leue furtum, & mendacium iocosum, doletque de furto ob specialem illius deformitatem, quia scilicet est proximo nociuum, neque alium dolorem concipit, obtinet absolutionem à furto, non à mendacio,

Hinc autem collige, eum qui peccata tantum venialia confitetur, debere ex motiuo aliquo generali se excitare ad eorum dolorem, vt ita integram omnium etiam omissorum remissionem obtineat. Maximè verò caueat ne sine vlllo dolore peccata huiusmodi confiteatur: quia etsi non teneatur illa confiteri, ex hypothesi tamen quod ea confitetur, debet dolorem aliquem vel de illis omnibus, vel saltem de eorum aliquo concipere; ita vt si de nullo doleat, peccet mortaliter: quia causa est quòd forma Sacramentalis proferatur supra materiam indebitam, nullumque sit Sacramentum. Et hoc valde notari velim tum à confessariis, tum ab ijs pœnitentibus qui potius ex consuetudine, quàm ex deuotione confessionem venialium sæpe instituere solent.

Vbi aduerte 1. eum qui confitetur sola venialia, timetque ne sufficienter de villo eorum doleat, debere se accusare de aliquo peccato veniali grauiori aliàs confesso, quod valde dolet se commisisse, aut in genere de peccatis mortalibus aliàs confessis, quorum recordatione ad verum dolorem inducatur.

Aduerte 2 quando in confessione venialium dolor se sufficienter extendit ad aliqua ex illis, nõ ad alia, monendum esse pœnitentem, vt ea in quibus experitur se adhuc cõplacere, tunc nõ proponat, sed tantum alia à quibus se putat sufficienter auersum. Sic enim vitatur irreuerentia quæ erga Sacramentum committeretur, si proponerentur aliqua peccata, quæ nõ essent materia sufficiens absolutionis.

Confessio valet, etsi dolor requisitus eam tempore precedat. Vnde qui conscientiam examinans, de peccatis commissis dolet, per ordinem ad confessionem instituendam, valide absoluitur, etsi dũ peccata, confitetur, vel absoluitur, nullum actum doloris eliciat. Quia nimirum cùm confessio ex vi precedentis doloris fiat, ille adhuc censetur virtualiter perseuerare, quod sufficit.

Etsi non pauci existiment, sufficere ad confessionem quod pœnitens doleat antequam absoluat, oppositum tamen nobis videtur probabilius; quia si non dolet quandiu peccata confitetur, sed tantum post confessionem, antequam absoluat, iam profectò illius confessio non est nisi nuda, & historica peccatorum narratio, qua ratione dici non potest eam ad valorem, vel effectum Sacramenti sufficere.

Imo hinc consequens videtur, non satis esse ad valorem Sacramenti, quod dolor requisitus confessionem comiteretur, sed requiri vt eam aliquo modo precedat. Eo quod confessio debet esse dolorosa, & lacrymabilis, signumque doloris interni, quod certè non habet, nisi dolor sit causa illius, adeoque eam aliquatenus precedat.

Quare cùm sæpe contingat, pœnitentem non esse
suffi-

sufficienter attritum, quamdiu peccata recitat, confuissimum est curare ut ante absolutionem, non modo eliciat actum aliquem doloris, sed etiam et eo confessionem generatim repetat, dicendo se dolere de peccatis iam confessis, eorumque absolutionem postulare.

ARTICULVS IV.

De aliis qualitatibus ad confessionem requisitis.

AD valorem confessionis non requiritur ut voce fiat, sed sufficit per se loquendo si nutibus, aliisue signis externis peragatur. Est tamen de necessitate præcepti, ut qui loqui potest voce confiteatur. Unde sine graui causa aliter confiteri, est peccatum mortale.

Dico sine graui causa, nam si talis causa intercedat, potest confessarius permittere pœnitenti, ut aliter quam voce confiteatur, verbi causa si puella proxima verecundia nullo modo adduci possit; ut peccatum aliquod ore confiteatur, quod tamen parata sit scribere in charta, & legendum offerre Sacerdoti.

Quando præceptum confessionis vrget, qui loqui non potest, tenetur alijs signis confiteri, nisi adsit periculum euulgationis; ut si aliter non potes confiteri quam scripto & probabiliter times Sacerdotem non redditurum chartam, si illi tradas; aut vi ablaturum, si ei legendam offeras.

Valet etiam confessio, etsi non fiat secretò, ut cum fit per interpretem, vel dum in naufragio, aliaue simili necessitate multi simul alta voce confitentur eidem Sacerdoti. Nemo tamen tenetur ex vi præcepti confessionis, hoc modo confiteri, etiamsi in graui necessitate constitutus sit.

Dico ex vi præcepti confessionis, hoc enim cum tanto rigore non obligat. Verùm in articulo mortis constitutus debet ex præcepto propriæ charitatis, confiteri

confiteri quadam peccata venialia per interpretem, vel aliis audientibus, si aliter confiteri non potest. Imò & aliqua mortalia, si ex eorum reuelatione nulum graue incommodum timetur. Maximè si probabiliter timet se non esse contritum, adeoque sine Sacramento damnandum.

Deinde valet illius confessio, qui coram Sacerdote dat generalia signa doloris, nec aliter potest confiteri. Cum enim sua peccata declaret modo possibili, id ex communiore sententia sufficere censetur ad obtinendam absolutionem; imò & ad lucrandum iubilaeum.

Et hoc maxime verum est quando infirmus qui loqui non potest, nutibus satis indicat se petere absolutionem Sacramentalem à Sacerdote. Quando autem dubitatur, an signa doloris quæ exhibet, ex metu mortis impendētis, an verò ex voluntate cōsequendæ absolutionis Sacramentalis orientur, aliqui existimant absolutionem ei tunc conferendam non esse. Verum cum omnes Catholici soleant in eo articulo petere confessarium, dicendum videtur posse Sacerdotem, cui prædicta signa nota sunt, deponere in praxi dubium illud, & probabiliter existimare infirmum velle Sacramentaliter absolui, nisi tales sint circumstantiæ, vt merito suspensus hæreat. Et quamuis omnibus perpensis maneat dubius, poterit infirmum signa prædicta edentem absolui sub conditione quod intendat per nutus confiteri, & absolui Sacramentaliter à peccatis, sitque ad hoc sufficienter dispositus. Sic enim non fit iniuria Sacramento, & aliunde contingere potest, vt infirmus virtute absolutionis liberetur à peccato mortali, & saluetur.

Maior difficultas est, an Sacerdos possit infirmum rationis vii destitutū præsentē absolui, si quis testetur eū verbis declarasse, aut nutibus insinuasse se velle confiteri. Dico præsentē absolui, nā quod Sacerdos non possit absenti absolutionem Sacramentalem impendere, iam certum est apud omnes Theologos.

In hac ergo difficultate tres sunt dicendi modi quorum *primus* omnino negat, sacerdotem posse licite, aut valide absoluere moribundum, qui eo absente confessarium petiit. *Secundus* vero distinguit, nam si quis coram infirmo testatur confessario eum voluisse confiteri, tunc ait confessarium posse, & debere eum absoluere: si autem confessarius non sit certior intentionis moribundi, nisi in absentia illius, sic existimat nefas esse sacerdoti, eum etsi presentem absoluere.

At *tertius* modus quem puto probabiliorē & in praxi sequendum, docet confessarium posse absoluere moribundum sensibus destitutum, qui confessionem petiit, aut signa doloris dedit, etsi huius rei attestatio non fiat coram ipso infirmo. Ratio est quia etsi absolutio sacramentalis non possit validè dari absenti, non tamen videtur confessio inualida, quæ fit absenti per nuntium, aut per litteras, dummodo absolutio non nisi presentem detur. Eo vel maxime quia si moribundus sensibus destitutus est, perinde omnino videtur, siue coram illo, siue extra presentiam illius testetur eum petiisse confessarium, vel dedisse alia signa pœnitentiæ.

Neque hoc repugnat decreto Clementis VIII. Ille si quidem ut varij testantur, damnauit tantum propositionem complexam, quæ ait, licitum esse per litteras, vel nuntium confiteri sacramentaliter confessario absenti, & ab eo absente absolutionem obtinere; non autem illam quæ ait, licere absenti sacerdoti confiteri, & ab eo non quidem absente, sed presente absolutionem obtinere. Quare si casus ille contingat, potest sacerdos, imò tenetur ex charitate absoluere moribundum, saltem sub conditione ut omnis irreuerentia erga sacramentum vitetur.

Sed quid fiet, si infirmus antequam petat confessarium, vel signa contritionis edat, subito obmutescat, & priuetur sensibus, erit ne tunc illi danda absolutio? Respondent aliqui affirmatiuè, quod probant

bant tum ex ratione, quia in necessarijs ad salutem
tutior pars est eligenda; tum facto Clementis VIII.
quem ferunt dedisse absolutionem sub conditione,
homini ex Sancti Petri Ecclesia cadenti, hoc modo,
Si es capax, absoluo te à peccatis tuis. Verum cum con-
fessio sit de essentia huius Sacramenti, non video
quomodo ille qui neque verbis, neque nutibus pe-
tuit confessarium, Sacramentaliter absolui possit. Et
ita tenet communis sententia, quam puto in praxi
sequendam esse.

Rursus confessio debet esse coniuncta cum propo-
sito satisfaciendi, iuxta mandatum Confessarij. Vnde
tenetur pœnitens sub mortali, acceptare pœniten-
tiam grauem sibi sub præcepto impositam, pro pec-
catis mortalibus nisi manifestè sit iniqua: vt si valde
infirmo imponeretur ieiunium plurium dierum.
Tenetur etiam per se illam exequi, si sit personalis, vt
si imponatur ieiunium, flagellatio, oratio, aut quid
simile. Quod si vires ad hoc non suppetant, non te-
netur eiusmodi pœnitentiam implere per alium, aut
in aliud opus commutare. Si verò pœnitentia sit rea-
lis, vt de danda elemosyna, potest pœnitens eam
exequi per alium, nisi de mente Sacerdotis aliter
constet.

Peccat quoque mortaliter, qui grauem pœniten-
tiam in Sacramento impositam non exequitur tem-
pore præfixo quia præceptum violat in re graui. Nec
propterea liber manet ab obligatione eam imple-
ndi, cum primùm commode potest, nisi imposita esset
in honorem determinati temporis, vt ieiunium in
Vigilia Natiuitatis Beatæ Virginis.

Non tamen peccat mortaliter, ex communi senten-
tia, qui pœnitentiam implet in peccato mortali, eo
quod confessarius tantum præcipere solet absolu-
te, vt talis pœnitentia fiat, non autem vt fiat in sta-
tu gratiæ. Verum etsi ex hoc capite non peccet,
aliunde tamen peccare videtur contra reuerentiam
Sacramento debitam, si verum est peccatum mortale

impediri effectū satisfactionis Sacramentalis, vt putant communiter Authores Verūm hæc suppositio nō adeo certa est, quin opposita, qua statuitur peccatum mortale non esse obicem effectui satisfactionis Sacramentalis, probabilis sit, vt alibi ostendimus.

Tandem qui in confessione negat se fecisse peccatum veniale, quod fecit, aut affirmat se fecisse, quod nō fecit nō peccat nisi venialiter. Peccat verò mortaliter per se loquendo, si peccatū de quo falso affirmat aut negat, est mortale: quia confessarium decipit in re graui. Dico per se loquendo, nam qui non tenetur hic & nunc peccatum aliquod mortale, quod commisit, confiteri; non peccat si negat se illud fecisse.

Si tamen pœnitens nullam aliam apponeret materiam, præter peccatū veniale quod non fecit, peccaret mortaliter, & Sacramentum esset nullum, defectu materiz necessaria ad absolutionem.

ARTICVLVS. V.

De integritate confessionis quo ad species, & numerum peccatorum.

IN primis vt valeat cōfessio, species peccatorū mortalium in ea esse declarandas, patet ex Concilio Trident. sess. 14. c. 5. Quod intellige de his speciebus que diuersa sunt in genere moris, non autem de illis que tantū materialiter, seu physicè distinguuntur.

Vnde si Titius tempore præcepti omisit Sacrum, & ieiunium, non sufficit si dicat se bis peccasse mortaliter, sed dicere debet se Sacrum, & ieiunium omisisse. Et similiter si peccauit contra castitatem, iustitiam, aliasve virtutes, cuiusmodi peccatorum species declarare debet.

Si vero occidit aliquem, non interest scire an gladio, an hasta eum occiderit. Si furatus est, non tene-

tur exprimere materiam furti (nisi ea speciem mutet, ut in furto rei sacrae contingit) sed tantum valorem rei furto sublatae. Si in haeresim lapsus est, non tenetur exprimere an sit Lutherana, an Calvinistica, &c. Si tamen circumstantia apostasiae iuncta est haeresi, ea declaranda est.

Ut autem haec doctrina facilius ad praxim reducatur, nota 1. peccata distingui specie, ratione obiectorum in quae per se tendunt; ita ut illa sint specie distincta, quae habent obiecta formaliter distincta; quae ratione furtum, adulterium, homicidium, &c. inter se specie distinguuntur.

Nota 2. Peccatum habens suam speciem ab obiecto, interdum aliam speciem sumere a circumstantia aliqua, quando nimirum haec ex se, & independentem a malitia actus, rectae rationi repugnat: ut dum quis mentitur ex intentione furandi; ille enim finis malus est ex se, & independentem a mendacio. Quod si circumstantia actui addita ex se mala non sit, sed tantum quatenus coniuncta est cum actu, qua ratione accipere multum non est malum, nisi quatenus furtum ipsum malum est tunc circumstantia non addit novam speciem actui malo, sed tantum auget illius malitiam intra eandem speciem.

Secundo declarandus est distincte in confessione peccatorum mortalium numerus, ita ut poenitens qui decies furatus est, dicere debeat se decies furatum esse, nec sufficiat si confuse dicat, se pluries peccatum illud perpetrasse.

Qui praecise non recordatur numeri peccatorum, dicat se toties plus minusve peccasse. Quod si postquam facto sufficienti examine dixit v. c. se decies plus minusve blasphemasse, deprehendit se duodecies blasphemasse, non tenetur hunc excessum in sequenti confessione declarare. Secus si non dixit, plus minusve, aut etsi dixerit, si numerus praetermissus assignatum notabiliter excedit.

Quidam aiunt satis esse si meretrices dicant, se tan-

to tempore cuilibet accedenti expositas fuisse. Verum etsi talis modus confitendi sufficere possit vltariis, probabilius tamē est debere meretrices modo possibili principales luxuriæ species declarare, quoties nempe cum coniugatis, cum Clericis, & peccauerint.

Quamuis fornicator non teneatur actus inhonestos qui præcesserunt exprimere, sed solam fornicationem; si tamen ista non sequatur, tenetur illos, & nimumque fornicandi declarare, cum vere sint peccata.

Quando voluntas occidendi, vel aliud peccatum externum patrandi statim opere completur, sufficit tunc solum actum externum confiteri. Si tamen sit aliqua temporis distantia inter voluntatem, & actum, oportet vtrumque distinctè patefacere, cum voluntas præterita, & præsens, ob moralem interruptionem, sint duo peccata numero distincta.

Qui se exponit periculo peccatum aliquod mortale committendi, eo ipso peccat mortaliter toties quoties, etiamsi de facto tale peccatum non perpetraret. Quod si præsentē occasione, cui voluntarie se exposuit, statim peccat, sufficit si dicat in confessione se tale peccatum commississe: quia tunc hæc duo in vnum peccatum coalescere videntur. Si vero sit aliqua notabilis mora inter prædictam expositionem, & actuale peccatum, sic duo sunt peccata distincta in confessione declaranda.

Qui vno ira impetu, multas eiusdem speciei iniurias in aliquem spargit, vt dum sapius eum vocat ebrium, vnum tantum peccatum mortale committit, in confessione declarandum, quemadmodum qui pluries aliquem gladio percutit, ex eadem iracundia calore, non nisi semel peccat mortaliter: & si percussus sit Clericus, percutiens vnum tantum excommunicationem incurrit. Et similiter qui eodem tempore, ad confirmandam eandem falsitatem

sapius

sapius iurat, non nisi vnus periurij mortalis cense-
tur reus.

Quando autem multiplicantur in iuria diuersa
rationis, vt dum quis alium eodem tempore vocat
ebrium furem, luxuriosum, &c. communis est sen-
tentia, tot committi peccata mortalia in confessione
sigillatim declaranda. Verum oppositum nonnullis
videtur probabile, adeoque iuxta illos sufficit, si pe-
nitens dicat se aliquem pluribus verbis iniuria gra-
uiter affeisse. Quemadmodum si alicui furatus es
crumenam, libros, & pallium, satisfacies si valorem
horum omnium exprimas.

A: si quis vno ictu tres vulnerat, vel occidit, perir-
degora Deo reus est, ac si tribus ictibus id praestaret.
Vnde censeatur triplex peccatum mortale, saltem re-
quiuenter. seu virtualiter committere, & si quos
occidit sunt Clerici, triplicem excommunicationem
incurrit.

Hinc qui vno actu vult totam aliquam familia
interimere, tot virtualiter committit peccata, quot
sunt personae in ea familia contentae. Vnde non suffi-
cit si dicat in confessione, se habuisse animum occi-
dendi, sed debet assignare numerum personarum
quas interficere vult. Qui tamen totam aliquam
domum vult incendere, vnum tantum peccatum
mortale committit.

Qui non habet peccata mortalia, debet ex proba-
biliori sententia, aliquod veniale in specie declara-
re; nec sufficit si dicat generatim se venialiter pec-
casse, nisi nullius peccati venialis in specie memoria
occurrat. Quia etsi non teneatur confiteri peccata
venialia, ex hypothesi tamen quod vult confiteri, te-
netur certam aliquam & determinatam materiam
formae subiicere. Non tamen necesse est confiteri nu-
merum peccatorum venialium, nec singulas eorum
species.

Vt autem ista clariùs intelligantur, obseruandum
est in peccatis quae interius consummantur, qualia

sunt odium, hæresis, delectatio morosa, &c. multiplicata voluntate peccatum multiplicari. Unde in confessione declarare debes quoties talem voluntatem conceperis. Quod si variae illius interruptiones deprehendi nequeunt, sufficit si dicas te v. c. per horam in prava aliqua cogitatione Veratum.

Similiter peccata quæ exterius procedunt, toties censentur multiplicari quo ad numerum, quoties per contrariam voluntatem interrupta renouantur. Unde si ex voluntate occidendi Petrum, incipis arma parare, deinde hanc pravam intentionem retractas, ac rursus ad priorem voluntatem regrederis, committis duo peccata in confessione declaranda, idemque dicendum videtur si non retractas quidem priorem voluntatem; sed ad alia opera te accingis, quæ nullomodo conducunt ad occisionem, tantumque tempore durat talis interruptio, vt posterior voluntas prudentis arbitrio, iudicetur peccatum à priori distinctum.

Quod si actio externa non interruptitur, censetur vnum numero peccatum, etsi actus internus voluntatis interruptatur; vt dum quis vadit ad domum Titij, animo occidendi illum, nec in itinere mutat propositum, etsi non continuò de eo cogitet.

Hactenus dicta ita debent intelligi, vt spectet ad integritatē confessionis, declarare etiam peccata mortalia dubia. Pro quo nota 1. te debere confiteri, tum quando dubitas, an commiseris actū quem scis esse peccatum mortale; tum quando constat te peccasse, sed dubitas an tale peccatum sit mortale, an veniale; tum quando certò scis te commississe peccatum mortale dubitas tamen an illud confessus fueris.

Nota 2. Peccata certa tanquam certa confitenda esse & dubia tanquam dubia; quando autem proponitur in confessione aliquod peccatum dubium, addendum esse aliud certum, alioqui absolutionem non nisi sub conditione dandam esse.

Nota 3. cum qui confiteretur peccatum quod fecit, dubitans

dubitans an esset mortale; non teneri denuò illud confiteri, etsi postea cognoscas esse verè mortale. Qui tamen confitetur dubitans, an commiserit aliquod peccatum, quod est mortale, tenetur iterum eiusmodi peccatum confiteri, si certo postea constet se illud commisisse.

ARTICVLVS VI.

De integritate confessionis, quoad peccatorum circumstantias.

DUBITARI non potest, quin declarandæ sunt in confessione circumstantia illa, quæ ita peccati speciem mutant, vt ex veniali faciant mortale; sicut contingit dum quis leue furtum committit, vt suffocetur, vel occidat.

Certum etiam est declarandas esse circumstantias, quæ actui secundum se malo nouam speciem malitiae addunt ita vt idem actus prout hic & nunc elicitus duas malitias mortales specie distinctas contineat, vt dum quis furatur rem sacram, aut cum persona Deo dicata peccat.

At quamuis non adeo certum sit, declarandas esse circumstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem, sententia tamen quæ affirmat, eas quoque necessario confitendas esse, nobis temper visa est longè probabilior, hac in praxi consulenda, & sequenda, etsi nonnulli eam vt nimis scrupulosam reiiciant.

Certè non ex scrupulo, sed rationabili ni fallor timore inductus, valde durum existimo, quod tam ille qui mille aureos furatus est, quàm qui duos dumtaxat, teneatur tantùm dicere se furtum mortale commisisse. Hinc enim confessarius aliud nihil concipere potest, quàm vtrumque æqualiter peccasse, vtrumque æqualiter obligari ad restitutionem, & æqualem vtrique pœnitentiam, pro culpa in Deum commissa, imponendam esse. Quod tamen cum

æquitate in iudicio isto requisita, non satis coheret. Accedit quod si nemo teneatur, circumstantiam aggrauantem intra eandem speciem, declarare in confessione, sequitur 1. perinde esse, quatum ad valorem confessionis, siue infames aliquem factum crimen imponendo, siue verum crimen occultum propalando, sufficit enim si dicas, te illum in amasse. 2. perinde esse siue ieiunium soluas carnes comedendo, siue tibi non prohibitis utendo; quia satisfacies si dicas, te ieiunium soluisse. 3. perinde esse siue sis secularis simplici voto castitatis obstrictus, siue Sacerdos siue Religiosus, siue Episcopus, si contra castitatem pecces. Quia satis est si de laïcis te contra votum castitatis peccasse. Unde quæ poenitentia tibi imponenda est, si sis secularis, eadem & non acerbior tibi iniungetur, et si sis Sacerdos, aut Religiosus. Ita autem & similia à nobis, vt ingenuè fatear, admitti non possunt; adeoque existimo sententiam quæ negat, circumstantias notabiliter aggrauantes in confessione declarandas, esse parum probabilem, parumque fini institutionis huius Sacramenti consentaneam videri. Quod tamen dictum sit, saluo meliori iudicio.

Quod spectat ad circumstantias minuentes, aliqua hic sunt certa, & vnum de quo controuertitur. Certum est 1. eas circumstantias quæ peccati grauitatem à deo minuunt, vt ex mortali faciant veniale, confitendas esse, vt dum quis ex inaduerentia venialiter culpabili hominem occidit. 2. eas quæ parum intra eandem speciem minuunt, non esse necessario confitendas, sed posse subtrahi; vt si ab amico rogatus, peccatum mortale commisisti. 3. non teneri poenitentem eiusmodi circumstantias recitare, sed posse illas declarare, si vellet.

Maior est difficultas de circumstantiis, valde notabiliter peccatum mortale minuentibus, intra eandem speciem. Nonnulli putant huiusmodi circumstantias prætermittenda esse: verum sinceritas quæ ad confes-

confessionem necessaria est, videtur exigere vt illa in confessione declarentur; eo quod iudicium Sacerdotis de peccato non parum variant. Et sic v. c. qui post longam constantiam in atrocissimis tormentis, tandem victus adigitur vt incensum idolis offerat, debet declarare circumstantiam illam tormentorum, qua summo opere illius peccatum minuitur, esto adhuc sit mortale Et foemina quae vt rempublicam, aut maritum, aut proprium filium seruaret incolumem, tyranno sui copiam fecit, tale motiuum exponere debet. Idem dicendum de similibus peccatis, de quibus longe aliud iudicium ferendum est, quam si sola amici suasionem, vel ex voluptatis motiuo patrata essent. Fateor tamen tales circumstantias raro occurrere.

ARTICVLVS VII.

De circumstantiis peccatorum sigillatim.

VT quae haecenus de circumstantiis dicta sunt facilius ad praxim in confessione reduci possint, recolendum est ex Philosophia Morali septem esse actus humani circumstantias, hoc vulgari versiculo comprehensas.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Et circa primam particulam (*quis*) notandum circumstantiam personae peccantis in varijs casibus confitendam esse. 1. Si habens votum castitatis fornicatur, debet hanc voti circumstantiam declarare, quia actui intemperantiae addit speciem sacrilegij. 2. coniugatus committens fornicationem, tenetur exprimere circumstantiam coniugij, quia ob illam actui superadditur malitia adulterij. 3. Si coniugatus peccat cum coniugata, vtramque circumstantiam confiteri debet, eo quod iam fit duplex adulterium, etsi vnus actus sit. 4. Sacerdos peccans contra castitatem, tenetur declarare ordinem laicum, nec suffi-

cit si simpliciter dicat, se voto castitatis ligatum esse. Quia circumstantia ordinis sacri est valde aggravans, etiam supra simplex votum. 5. Quod si sit Religiosus professus, debet etiam ex veriori sententia, professionis circumstantiam declarare quia hoc multum auget peccatum. 6. Si sit Episcopus consecratus, circumstantiam characteris notabiliter aggravantem exprimere debet, propter eximiam virtutem quam dicit status Episcopalis supra alios status. Imò hoc aliqui extendunt ad omnes peccatorum mortalium species. 7. Si sit Confessorius, & filiam spiritualem cognoverit, vel sollicitaverit, hanc qualitatem aggravantem manifestare debet. 8. Si quis peccavit cum ea quam tenuit in Baptismo, vel in Confirmatione, hanc circumstantiam, ex qua incestus spiritualis oritur, fatei debet. 9. Si ad consanguineam, vel affinem illicitè accessit, circumstantiam incestus notabiliter aggravantem aperire tenetur, ut si sit in primo, aut secundo gradu.

Circa secundam particulam (*Quid*) nota duas regulas à nonnullis assignari, quibus dignoscatur circumstantia aggravantes in confessione declaranda. *Prior* est, quando gravitas peccati sumitur ex gravitate materiae circa quam versatur, eam circumstantiam esse declarandam, quae per se spectata peccatum mortale posset constituere. Unde si furtum unius aurei est peccatum mortale, qui duos furatur aureos, tenetur dicere, se duos aureos furatum esse.

Posterior est, in peccatis quorum gravitas sumitur à directione, vel intensione actus, circumstantiam manifestandam esse, quando modus communis ea peccata patrandi, prudentum iudicio notabiliter exceditur. Ut si quis per duas aut tres horas continuas fœdam cogitationem animo versat, vel turpibus operibus vacat; aut si tanto in aliquem afficitur odio, ut eum non modo occidat, sed etiam occisum laceret, variisque ictibus confodiat. Tunc enim non solum actus principalis, sed etiam circumstantia

tia illa extraordinaria excessus declaranda est.

Circa tertiam particulam (Vbi) nota circumstantiam loci sacri declarandam esse. 1. Quando aliquis furatur in loco sacro rem sacram, aut non sacram quæ vel est Ecclesia, vel sub speciali illius custodia, ita vt de illa teneatur. Sic enim locus sacer est circumstantia notabiliter aggrauans, eo quod per furtum grauis illi fit iniuria. Quod si res furto ablata ad locum sacrum neutro ex dictis modis spectat, tunc locus sacer non est circumstantia notabiliter aggrauans, adeoque necesse non est eam declarare in confessione, vt si quis furetur crumenam alicuius, qui sacro interest. Adde videri sacrilegium, furari rem sacram in loco non sacro, v. c. Calicem consecratum in domo aurificis, propter iniuriam rei sacre illatam. Quod intellige, modo fur sciat esse Calicem consecratum.

Secundo, quando quis alium in loco sacro iniuste occidit, grauiterve vulnerat, secus si casu, aut se iuste defendendo, vel alio modo inculpate hæc faciat; vel si loco sacro alium extra existentem occidat, aut grauiter percutiat. Quamuis oppositum dicendum sit, si quis extra locum sacrum positus, alium intra existentem armis missilibus interficiat: sic enim grauis fit iniuria loco sacro, vt perspicuum est.

Tertio, quando quis in loco sacro semen culpabiliter effundit at non si tantum aspectus inhonesti fiant, aut colloquia turpia ibi misceantur. Imo ex multo- tum sententia, & si tactus inhonesti in loco sacro contingant sine pollutione, id non sufficit ad sacrilegium. Existimo tamen foeditatem actus patrati inde grauiter aueri, adeoque iuxta nostra principia, circumstantiam loci sacri in confessione tunc esse declarandam.

Quarto, quando quis violenter extrahit delinquentem e loco sacro: quod intellige in iis casibus, in quibus delinquens gaudet immunitate loci sacri, secus si culpa sit adeo grauis, vt ab immunitate Ecclesie excepta sit. Qua ratione publici grassatores viarum, nocturni segetum incendiarii, qui per insidias occidunt

proximos, &c. hac immunitate non fruuntur. Quae in re attendenda est probata loquorum consuetudo.

Circa quartam particulam (*Quibus auxiliis*) nota eum qui aliquem non paratum, ad peccatum induxit; debere confiteri circumstantiam inductionis. Unde qui fornicatus est cum foemina minime exposita, quam ad hoc induxit, non modo tenetur declarare fornicationem, sed etiam inductionem. Secus si foemina erat exposita, esto ad hunc actum singularem eam induxerit; hinc enim grauitas peccati parum augetur.

Eodem modo qui utitur maleficio parato ad tollendum maleficio alio maleficio, etsi grauiter peccet, eo utendo ad talem effectum sic obtinendum, non tamen tenetur confiteri inductionem. Qui vero ex causa rationabili mutuum petit ab usurario exposito, & parato omnibus dare sub usuris, non peccat utendo vel inducendo: quia non petit nisi mutuum, quod ex se licitum est, & sine culpa dari potest.

Addunt aliqui eum non peccare, qui ex causa necessaria petit mutuum expressè & formaliter sub usuris, ab usurario exposito, dum modo talis petitionis obiectum non sit actio per se mala usurarii, sed ipsum mutuum, ut sensus sit, da mihi mutuum, & si usuras exacturus sis. Verum & si haec sententia speculatiuè probabilitatem aliquam habeat, in praxi tamen non satis tuta videtur, adeoque cauendam existimo.

Circa quintam particulam (*Cur*) nota. quando quis peccauit ex fine extrinseco mortaliter malo, declarandam esse circumstantiam finis; ut si furatus est animo fornicandi, vel occidendi: quia hinc actus sumit nouam speciem peccati. Dico ex fine extrinseco, nam si agatur de fine operis intrinseco, seu ad quem ex se ordinatur, certum est non requiri ut talis finis in confessione declaretur, & si ab operante expressè intentus sit. Unde qui ob solam voluptatem forni-

forni-

fornicatur, non tenetur declarare circumstantiam illam finis, sed solum actum fornicandi.

Nota secundo cum qui peccauit ex fine non malo, non teneri declarare circumstantiam illam finis, cum non mutet speciem nec sit multum aggrauans. Vnde qui omisit Sacrum propter studium, non tenetur declarare circumstantiam illam studii, sed solam omissionem Sacri.

Nota Tertio, eum qui peccat ex confidentia misericordiae diuinae, seu sperans Deum illi daturum tempus penitentiae, non teneri eiusmodi circumstantiam declarare, Vnde potest absolui per Iubilaeum, qui ex confidentia illius peccatum alias reseruatum perpetrat.

Circa sextam particulam (*Quomodo*) nota 1. modum peccandi variare interdum speciem, vnde qui furatur sciente & inuito domino, committit rapinam specie a simplici furto distinctam; adeoque in confessione declarandam.

Nota secundo variis modis peccatum ex se veniale fieri mortale. 1. quando vltimus finis in eo constituitur siue explicitè, siue implicitè, ita vt propter illud quis paratus sit mortaliter peccare. 2. quando committens peccatum ex se veniale, putat ex confidentia erronea illud esse mortale. 3. quando peccato veniali additur contemptus Superioris. 4. quando per peccatum veniale aliquis se constituit in periculo labendi in mortale. 5. quando ex tali peccato oritur graue aliorum scandalum.

Nota tertio eum qui ex errore inuincibili putat se, siue hoc egerit, siue oppositum, v. c. siue infirmum deferat vt Sacro assistat, siue Sacrum omittat ne infirmum deferat, peccaturum, non peccare alteram contradictionis partem sequendo quia cum necessario debeat aliquam ex illis eligere, sequeretur eum necessario peccare, quod dici non potest. Si tamen existimat vnum peccatum esse altero grauius, tenetur illud eligere quod minus malum iudicat.

Nota

Nota quarto cum peccare, qui facit aliquid practice dubitans esse peccatum, secus si dubium illius est tantum speculatiuum. Hinc milites licite ad bellum procedunt, & si de iustitia illius speculatiue dubitent modo tale dubium in praxi, ex causa rationabili, deponant. Videnda sunt quae de conscientia diximus in *Idea Theologiae moralis lib. I. cap. 3.*

Circa septimam & vltimam particulam (*Quando nota 1.* Si quis fornicatur, aut furatur, aut blasphematur die Festo, non esse necessario declarandam in confessione talem circumstantiam seculi o contemptu: quia haec, aliave peccata non magis prohibentur diebus Festis, quam aliis.

Nota secundo, quando quis vna transgressione violat duo praecipua eiusdem rationis, non opus esse declarare circumstantiam diuersorum praecipuerum, ut si non audiat Sacrum die Dominica, in qua Festum occurrit, aut si non ieiunet in Vigilia alicuius Sancti, in Feriis quatuor temporum, vel in Quadragesima occurrente. Secus si sint duae obligationes ad diuersas virtutes spectantes, ut si Sacerdos beneficiarius omitat preces horarias, ad quas tenetur x Religione, ratione ordinis; & ex iustitia, ratione beneficij.

ARTICVLVS VIII.

Quinam sint casus in quibus confessio est valida licet materialiter non sit integra, seu etsi aliquod peccatum mortale reiceatur.

RESPONDEO casus illos, ex communi sententia, varios esse. *Primus*, est, quando ex obliuione, vel ignorantia, aut inaduertentia inculpabili aliquid omititur. Dico, inculpabili, nam si omisso est culpabilis, non valet Sacramentum, ut contingit dum quis peccatum mortale omitit, quia sine vilo peccatorum examine confitetur. Secus si tantum venialiter, ut si quis

si quis in disquisitione peccatorum suorum adhibeat paulo minorem diligentiam quam debet, & inde omissio peccati mortalis oriatur.

Secundus, quando propter instantem mortem periculum est, ne poenitens expiret antequam omnia peccata mortalia confiteatur, tunc enim danda est absolutio, & si confessio perfecta non sit. Quod si data absoluteione, potest sine graui incommodo vel molestia aegrotantis, perfici confessio, ea perficienda, & in fine danda iterum absolutio. Hinc si in naufragio, aliove simili casu, multi simul alta voce aliquod peccatum Sacerdoti confiteantur, poterit ille illos omnes abluere his verbis! *Ego vos absoluo à peccatis vestris.* An autem teneatur quis hoc modo confiteri, ex praedictis intelligitur.

Ceterum quod hic dicimus de necessitate poenitentis, extendi potest ad necessitatem ipsius Sacerdotis, ita ut si v. c. audiendo integram confessionem peccati infecti, periculum sit ne ipsemet inficiatur, possit audito aliquo peccato, eum absolueri.

Tertius, quando Sacerdos non potest integrè confiteri, nisi reuelat aliquod peccatum in confessione auditum, ex cuius reuelatione confessarius veniat in cognitionem illius, qui tale peccatum patrauit. Praeceptum enim non reuelandi sigillum confessionis, magis censetur obligare quam praecceptum de integritate confessionis, & si vtrumque diuinum sit.

Quartus, quando ex confessione alicuius peccati, probabiliter oriri potest graue aliquod damnum siue poenitenti, siue cuicumque alteri: praecceptum enim integritatis confessionis antiquiori, & fortiori charitatis praeccepto cedere debet. Caueat tamen poenitens, ne ob leues aliquas coniecturas, ex confessione alicuius peccati tale quid euenturum suspicetur.

Quintus, quando non potest integra confessio institui, nisi detegatur persona complicitis, charitas enim videtur postulare, vt tunc subiceatur peccati species, ex qua complicitale damnum imminet. Quod tamen ali-

aliqui negant, eo quod complex in illud periculum se coniecit.

Id autem intellige, quando tam pœnitens, quam complex sunt noti confessario, neque alius commode adiri potest, & aliunde periculum est ne complex ea confessione grauer infametur, spectata conditione confessarii, qualitate criminis, aliisque circumstantiis quæ prudenter pensari debent. Verum quamuis aliqui putent, peccatum tunc omnino tacendum esse, probabilius videtur solam circumstantiam, ex qua in notitiam complicitis veniretur, reticendam, & peccatum in communi declarandum; vt si ille qui fororem cognouit, dicat se fornicatum esse, si soluta est, aut se adulterium perpetrasse, si est coniugata.

Sextus, quando instituitur confessio de peccatis aliis ritè confessis, potest enim pœnitens vnâ partem hodie confiteri, & cras alteram, siue e dem, siue distincto Sacerdote, & qualibet vice absolui. Imo ex peccatis confessis potest ea, vnde grauis infamia timetur, reticere. Et quamuis dixerit confessario, se velle generalem totius vitæ confessionem apud eum instituere, id non sufficit vt teneatur sub mortali, peccata omnia aliis ritè confessa ei declarare.

Septimus quando pœnitens est ignoti Idiomatis, nec adest confessarius qui linguam illius perfecte calleat instatque præceptum confitendi. Tunc enim potest Sacerdos eum absolueri, etsi peccata omnia illius non satis intelligat. Si tamen alterius confessarii, cui pœnitens integrè confiteri valeat, copia facile haberi potest, ad eum remittendus est.

Octauum casum addunt aliqui, quando pœnitens habet casus reseruatos cum non reseruatis, tunc enim dicunt eum posse, ex rationabili causa, solos reseruatos confiteri Superiori reseruanti, & ab iis absolui; reliquos verò posse confiteri alteri Sacerdote, eorumque absolutionem ab illo accipere. Dicunt autem eiusmodi causam adesse, quando Superior ob

neg-

negotia occurrentia, non potest integram confessionem audire. Verum non puo communes Superiorum occupationes sufficere ad dimidiandam confessionem, cuius integritas est de iure diuino. Si tamē contingeret Superiorem non posse totam confessionem audire, instaretque ex parte inferioris grauis necessitas confitendi, neque posset tunc alteri commodè delegari facultas absoluendi à reseruat, in eo casu concederem prædictam confessionis dimidiationem licitam esse. Sed sanè omnes illæ circumstantiæ vix ynquam simul occurrere possunt, vt perspicuum est.

Circa iam dicta nota 1. et si in dictis casibus confessio, quæ non est materialiter integra valeat; ad valorem tamen illius semper requiri, vt sit formaliter integra, adeo vt omnia peccata declarentur, quæ moraliter manifestari possunt; nec plura reticeantur, quæ iusta causa exigat.

Nota 2. eum qui, ex iusto timore mali impendentis, si integre confiteatur, peccatum aliquod mortale reticere potest, debere instante præcepto confessionis, vel communionis confiteri reliqua peccata mortalia, ex quibus nullum periculum timet; neque fas ei esse ex communi sententia, neglecta confessione, ad Eucharistiam cum contritione accedere.

Nota 3. si quis cum peccato mortali, ex quo damnum timet, non habet nisi venialia, eum non teneri in iam dictis casibus confiteri, sed tantum si verferetur in periculo mortis: tunc enim ex charitate propria, tutiorem salutis viam eligere tenetur, adeoque venialium confessionem inlinuere debet.

Nota 4. eum qui ex rationabili causa, peccatum aliquod mortale in confessione subticuit, non manere liberum ab obligatione illud aliàs confitendi. Nec tamen teneri statim prima data occasione illud confiteri, sed posse expectare vsque ad tempus, quo præceptum confessionis aliunde obligat.

ARTI-

ARTICVLVS IX.

Quid dicendum sit de iteranda confessione.

RESPONDEO hominem verè & directè semel absolutum à peccatis confessis, non teneri amplius per se loquendo, ea Sacramentaliter confiteri. Quia nullum datur præceptum iterandæ confessionis eiusdem peccati, sed tantùm illius semel instituendæ. Dico *directè absolutum à peccatis confessis*; nam si quis à peccatis mortalibus minimè confessis interdum indirectè absoluitur, vt contingit quando ea in confessione inculpabiliter prætermittit, modo dolor interius etiam ad illa sufficienter se extendat, tunc manet obligatio grauis ea confitendi, si quando memorie occurrerint. nõ est obligatio iterùm confitendi peccatũ confessũ, à quo quis tantùm indirectè absoluitur, si quis ex rationabili causa, confiteatur casus reseruatõs Sacerdoti non habenti iurisdictionem in illos. Quamuis enim ab illis indirectè tunc absoluat, teneatur iterùm ea confiteri superiori eos reseruanti, vel alteri qui ab illo acceperit facultatem absoluendi à reseruatis.

Cùm ex præcepto diuino teneamur verum Sacramentum suscipere, vt supra dictum est, quando confessio peccati mortalis fuit nulla & inualida, teneatur pœnitens eiusmodi peccatum iterum confiteri, siue nullitas oriatur ex defectu illius, siue ex defectu Sacerdotis.

Defectus ex parte pœnitentis, obligans per se loquendo ad iterandam confessionem est, quando est integrè confessus sit, non tamen accessit cum sufficienti dolore de peccatis commissis. Quomodo censetur accessisse, si confessus est cum affectu, seu complacentia ad aliquod peccatum mortale, aut sine proposito relinquendi proximas occasiones peccandi, vel

emen-

emendandi vitam in posterum, & seruandi præcepta diuina &c.

Item si aliquod peccatum mortale, sine iusta causa in confessione scienter prætermisit, tenetur integrâ confessionem iterum instaurare, non solum peccatum prætermisum, & sacrilegam illius omissionem confitendo, sed etiam alia peccata mortalia quæ confessus fuerat.

Rursus ex probabiliori sententia, tenetur iterum confiteri, qui ob grauem negligentiam in conscientia discussione commissam, aliquod peccatum mortale in confessione prætermittit; esto videatur sufficienter dolere de peccatis quorum meminit.

Porro vt valeat confessio, non est necesse vt quis in conscientia examinanda, summam quam potest diligentiam adhibuerit, sed sufficit si mediocrem, spectata ipsius conditione, negotiorum quæ tractare soleritate, aut multitudine, consuetudine quam habet raro aut frequenter confitendi, & arbitrio viri prudentis præmiserit.

Addo tamen diligentiam quæ ex se non est sufficiens, posse fieri sufficientem diligentia confessarij. Vnde excusari possunt à peccato mortali vulgares homines, qui aliquantulum conscientiam examinât, & bona fide accedunt ad confessionem, cum proposito fideliter respondendi ad interrogata sacerdotis, quem sciunt esse virum eruditum, & in examinandis pœnitentibus satis accuratum.

Quod si quis bona fide aliquod peccatum omisit in confessione, inuincibiliter existimans non esse mortale, tunc non est obligatio iterandi confessionem, etsi peccans doctior factus, postmodum discat tale peccatum esse mortale; sed sufficit peccatum illud in sequenti confessione declarare. Hinc excusantur homines ne iterare teneantur confessiones, quas in tenera ætate cum eiusmodi defectu instituerunt. Excusantur etiam rudes & illiterati à repetendis confessionibus præteritis in quibus ex ignorantia inuincibiliter

inuin-

inuincibili peccatorum numerum sufficienter non expresserunt. Quod tamen prætermissum fuit, declarandum est modo possibili.

Non tenetur iterare confessionem, qui omnia peccata mortalia confitetur sacerdoti ignoto, & postea venialia sacerdoti ordinario. Qui tamen sæpe hoc modo confessionem diuidit, non videtur habere affectum valde alienum à peccato mortali. Vnde non facile excusarè a sacrilegio, eos qui vt bene audiât apud confessariũ piũ, & grauem, sola peccata leuia illi confiteri solent, & interim alio vtuntur confessario, apud quem peccatorum mortalium sarcinam prius deponunt. Illi enim vtuntur Sacramento, tanquam medio ad sibi conciliandam apud confessarium probum, falsam opinionem sanctitatis, quod in grauem Sacramenti ipsiusque Dei Sacramentorum authoris irreuerentiam haud dubie cedit. Non tamen nego, quin id interdum, ex causa rationabili, licitè fieri possit.

Qui scit se esse excommunicatum, sibi que in hoc statu constituto, licitum non esse Sacramenta suscipere, peccat mortaliter si confiteatur peccata, antequam curet se absolui ab excommunicatione, adeoque tenetur confessionem repetere. Secus si ex ignorantia inuincibili existimet, se posse licitè & validè absolutionem sacramentalem assequi, antequam à censura absoluator.

Qui peccata confitetur, cum proposito non adimplendi iustam satisfactionem à confessario imponendam, inualidè absoluitur, & tenetur confessionem iterare. Idem dic de illo, qui confitetur quidem animo obtemperandi sacerdoti, audiens autem penitentiam sibi impositam, eam sine causa rationabili acceptate renuit, vel acceptatam omnino negligit ante datam absolutionem, adeo vt non curet illam memoria retinere, vt eam postea exequatur, sicque virtualiter, seu interpretatiuè censeatur illius non implendæ propositum habere. Vnde etiam

et si fortè postea pœnitentia ductus, satisfactionem iniunctam impleat, tenetur confessionem factam repetere, & grauem illum neglectum declarare.

Qui tamen pœnitentia acceptata, cum seria intentione eam implendi, absoluitur, & postea non vult eiusmodi pœnitentiam exequi, peccat quidem eatenus mortaliter, at non ideo tenetur confessionem præteritam, vt pote validè & legitimè factam, iterare, sed tantùm culpabilem pœnitentiæ omissionem declarare.


Qui pœnitentiæ oblitus est, adire debet sacerdotem à quo absolutus fuit, si commodè potest, & probabiliter existimat eum pœnitentiæ impositæ adhuc memorem esse, vt ab illo discat quid fieri imperauerit. Quod si confessarium adire commodè nequit, aut verissimiliter credit eum pœnitentiæ iniunctæ non meminisse, in eo casu multi existimant, eum non teneri præteritam confessionem repetere, sed posse indulgètijs, vel pijs opibus defectum satisfactionis sacramentalis, quoad remissionem pœnæ debita, supplere. Tutius tamen est iterum confiteri, vt noua pœnitentia peccatis proportionata imponatur; sic enim integritati Sacramenti modo possibili consultitur.

Qui ex causa rationabili, pœnitentiam sibi impositam commutari desiderat, debet commutationem illam petere in Sacramento pœnitentiæ; quia sicut ligare, ita & soluere pœnitentem, est actus clauium ad forum animæ spectant. Tenetur etiam ex probabiliori sententia, confessionem præteritam iterare, quia alias confessarius non potest in commutatione pœnitentiæ, saltem ab alio iniunctæ satis cautè procedere.

Et hæc de defectibus ex parte pœnitentis dicta sufficiant, quod verò ad eos spectet, qui oriuntur ex parte confessarij, propter quos etiam iteranda est confessio, ij sunt 1. si non sit sacerdos, etsi talis existimetur. 2. si non habeat intentionem absoluendi. 3. si non

non

non sit approbatus ab Episcopo. 4. si careat iurisdictione. 5. si ob distractiones, aut somnolentiam ad peccata mortalia non aduertat. 6. si careat scientia necessaria ad valorem Sacramenti. 7. si essentialia formæ verba non proferat. Quæ omnia lucem accipient, ex dicendis infra de officio Confessarij.



CAPVT III.

DE III. ECCLESIAE

PRÆCEPTO,

QVO IVBEMVR COMMVNICARĒ
semel in Anno.

ARTICVLVS I.

An detur aliquod Præceptum sumendi Eucharistiam.

RESPONDEO I. extare præceptum Diuinum sumendi Eucharistiam, omnes homines ratione vtentes sub peccato mortali obligans, vt satis intelligitur ex verbis illis Christi Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Hoc præceptum per se obligat in articulo mortis, vt patet ex praxi Ecclesiae, quæ semper magna sollicitudine curauit, vt extremè laborantibus conferretur viaticum Et sanè cùm ex Euangelio constet de institutione, non de tempore huius præcepti, rationi valde consentaneum est, vt dicamus tunc obligare, quando vsus Eucharistiae est maximè necessarius, nimirum in mortis articulo: quia eo præsertim tempore tenentur homines vires spirituales reficere, cum

corpore
ad gratia
ducunt
ristia.
Ex qu
tiuntur
dices re
necessari
ad Euch
confue
in quo h
Quid
ex deuo
dies inc
uoad co
cauit, ia
firum ta
etiam si
commu
Respo
mendi
prum Ec
nimirum
usque, &
Hoc p
nevent
dum est
incipiunt
tima est
ad com
cut adm
do suffi
maiori,
care pos
ptione
præcoci
um sit p
gationi

corporalibus destituuntur, & media adhibere quæ ad gratiam augendam, & conseruandam valde conducunt, inter quæ præcipuum locum tenet Eucharistia.

Ex quo iace ligis, eos qui mortem violentam patiuntur, obligari hoc præcepto. Vnde tenentur iudices reis ad mortem damnatis concedere tempus necessarium, vt peccata Sacramentaliter confiteri, & ad Eucharistiam accedere possint. Neque opposita consuetudo probanda est, cum sit contra ius diuinum in quo homines dispensare non possunt.

Quidam existimant, eum qui in Paschate, vel aliàs ex deuotione Eucharistiam sumpsit, si post aliquot dies incidat in periculum mortis, non teneri de nouo ad communionem accedere: quia cum communicauit, iam moraliter extabat tale periculum. Oppositum tamen probabilius est, & in praxi teneadum, etiam si quis pridie quàm cadat in periculum, sanus communicasset.

Respondeo 2. præter illud præceptum diuinum sumendi Eucharistiam in articulo mortis, dari præceptum Ecclesiasticum commuicandi semel in anno nimirum in Paschate, vt colligitur ex cap. *Omnia vtriusque*, & ex praxi vbique recepta.

Hoc præcepto obligantur omnes baptizati ratione vententes; quod tamen non ita strictè accipiendum est, vt infantes ad illud teneantur, statim atque incipiunt vti ratione, cum ex consuetudine, quæ optima est legum interpres, non admittantur infantes ad communionem, statim atque ratione vtuntur, sicut admittuntur ad confessionem; sed tantum quando sufficienti præditi sunt iudicio, vt cum reuerentia maiori, huic Sacramento præ aliis debita, communicare possint. Quo fit vt alij citius, alij tardius ad sumptionem illius Sacramenti obligentur; eo quod alij sunt præcocioris ingenij, alij tardioris. Qua de re iudicium sit penes prudentem confessarium, qui varijs interrogationibus deprehendere poterit, quãdonã infantes

C

ad

ad eum accedentes, sufficienti iudicio pradii sint
vt ad Eucharistia sumptionem admitti debeant.

Cum dicimus hoc praeceptum obligare in Pascha-
te, nomine Paschatis non intelligimus praecise ip-
sum diem Resurrectionis Dominicae, sed tempus cur-
rens à Dominica Palmarum, vsque ad Octauam Pas-
chae inclusiue: ita vt satisfaciatur praecepto Ecclesiae,
qui semel communicat intra illos quindecim dies.
Imò aliqui aduertunt consuetudine variis locis re-
ceptū esse, vt in tota Quadragesima, & octo, vel etiam
quindecim diebus sequentibus, huic praecepto satis-
fieri possit.

Tempus praedictum non est ita determinatum,
quin ex consilio proprii Sacerdotis, communicatio extra
illud possit differri, ex rationabili causa. Dicitur au-
tem hoc loco proprius Sacerdos, quicumque potest
legitimè Eucharistiam Paschalem, de qua hic agimus,
administrare

Tenantur fideles sub peccato mortali, semel com-
municare intra praedictam quindenam, in propria
Parochia; qui tamen aliqua illius die huic praecepto
satisfecit, potest aliis diebus communicare ex deuo-
tione in aliis Ecclesiis.

Qui non possunt tempore Paschali propriam Pa-
rochiam adire, vt viatores, tenentur in Parochia in
qua pro tempore versantur, communionem Pascha-
lem sumere: cum verisimile non sit, eos ob absentiam
à propria Parochia, liberos esse ab obligatione prae-
cepti, de communione annua.

Cum praeceptum communionis determinetur ad
tempus Paschale, qui prauidet impedimentum eo
tempore superuenturum, non tenetur communicatio
anticipare; sicut non tenetur die Sabbati sacrum au-
dire; qui prauidet se die sequenti ita impediendum,
vt Missae interesse non possit. Et ob eandem ratio-
nem, probabile est eum qui non communicauit in
Paschate, non teneri elapso eo tempore, prima data
opportunitate ad Eucharistiam accedere. *Oppo-
situm*

fitum tamen in utroque casu tutius est, & in praxi suadendum.

Aliquorum est probabilis sententia, eum non satisfacere præcepto Ecclesiastico de communione Paschali, qui ad Eucharistiã accedit in peccato mortali. Verùm sententia communis statuit eum satisfacere, quia cum verè sumat Sacramentum Eucharistiæ, præceptum implet quoad substantiã, quod sufficit. Unde etsi ille indignè communicando graviter peccet, non tamen tenetur tempore Paschali iterum communicare; sicut qui die festo sacro interfuit in peccato mortali, non tenetur eadem die aliam Missam audire, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciat.

Quamvis fideles non teneantur communicare nisi in Paschate, & in articulo mortis, optimum tamen consilium est, ut frequenter ad hoc Sacramentum cum debita dispositione, de qua postea, accedant. Cum enim fons gratiarum Christus in eo realiter contineatur, dubium non est quin magnum gratiæ augmentum ex eo percepturi sint.

Ne refert quòd omnes ferè homines in peccata venialia sæpissime incidant, hoc enim non sufficit ut retrahi debeant a frequenti Cõmunionem; quin potius hinc moneri debent ad frequentandã Eucharistiã cum ea magnam vim habeat ad remittenda peccata venialia. Imò qui experiuntur se frequenter peccatis mortalibus scèdari, ad frequentem communionem hortandi sunt; eo quòd Eucharistiã instituta est tanquam antidotum, quo non modo liberemur à culpis venialibus sed etiam a mortalibus præferuemur, ut Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. disertè docet. Ipsaque experientia ostendit plerosque virtute huius Sacramenti vitam sanctè transigere, qui aliàs cum ad illud raro accedebant, in gravia peccata præcipites ruere solebant.

Quàm frequens autè esse debeat vsus Eucharistiæ, iudiciũ sit penes prudentem piumque confessarium, qui aliam his aliã aliis iuxta diversitatem dispositio-

num, statuum & personarum regulam, quoad hoc præscribere debet. Itavt alios permittat communicare semel vnaquaque hebdomada, alios tantum semel in mense, &c. Quod dictum volo de secularibus, nam Religiosi, & Moniales debent vt plurimum frequentius ad Eucharistiam accedere, iuxta regularum quas profitentur præscriptum, aut piam consuetudinem in eorum Monasteriis receptam

Etsi communio possit aliis quam sumenti prodesse, ex opere operantis, non tamen ex opere operato. Vnde decipiuntur qui sumunt Eucharistiam pro mortuis, quatenus putant animas in purgatorio existentes ea sumptione ex vi ipsius sacramenti, seu ex opere operato non parum leuari. Quo sensu S. Thomas 3. p. q. 79. art. 7. ad 3. docet, ex hoc quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescere aliis aliquid iuamentum.

ARTICVLVS II.

Quanam dispositiones requirantur ex parte corporis, ad Eucharistiam dignè recipiendam.

RESPONDEO I. Eucharistiam regulariter non esse sumendam nisi à ieiuno, vt patet ex communi, & antiqua Ecclesie praxi.

Quod ita intellige, vt non debeat ad communionem accedere qui vel minimum cibum aut potum, etiam per modum medicinæ ea die sumpsit. Vnde qui à media nocte parum saccari, vel alterius rei similis deglutiuit, à communionem abstinere debet. Idem confulerem ei qui dubitat se aliquid deglutisse, propter reuerentiam Sacramenti: quanquam aliqui non improbabiler existimant, præceptum Ecclesiasticum non tam arctè ligare conscientias in casu dubio.

Potest tamen communicare, qui ad vitandum a-

rem noxium, aromata dentibus terit, modo nihil deglutiat: item qui os abluendo, casu traiecit parum aqua in stomachum, aut reliquas cibi dentibus adhaerentes; quia ista non sumuntur per modum cibi, aut potus, sed per modum saluæ. Et idem dicendum puto de eo qui incogitanter parum chartæ, aut ligni, vel muscam traiecit.

Verum tres assignari solent casus, in quibus sumpto cibo licet Eucharistiam sumere. I. est quando id postulat reuerentia Sacramenti, vt si periculum sit ne ab hæreticis iniuriosè tractetur, tunc enim si in loco tuto collocari non potest, à non ieiuno sumi debet, si alius non adsit.

II. quando id requiritur ad perfectionem sacrificij, vt si quis sacrum celebrando, aquam pro vino consecrauit, & sumpsit; ille enim etsi non ieiunus, tenetur vinum de nouo consecrare, & sumere ad perfectionem sacrificij.

Item qui post consecrationem recordatur se non esse ieiunum, tenetur sacrum perficere. Quod si id aduertit ante consecrationem, quamuis absolute non teneatur ex communi sententia, à sacro inchoato desistere, etiam si possit ab altari recedere sine vllò infamiae periculo, tutius tamen est, & congruentius in ea circumstantia, vt sacrum non perficiat, præsertim si Canonem non incepit.

Eodem modo particula consecrata, quæ post sumptam ablutioem Calici vel patenæ adhaerescunt, possunt à Celebrante sumi quæ diu est ad altare. Quia cum spectent ad perfectionem Communionis præcedentis, tota consumptio Hostiæ moraliter censetur facta à Sacerdote ieiuno.

Quod si sacerdos postquam ab altari recessit aduertat particulas quasdam in Calice, vel patena superesse, debet curare vt ex honesto in loco seruentur, donec in alio Sacrificio ante ablutioem sumi possint. Quod si locus non patitur vt sic seruentur, debet eas tunc reuerenter sumere.

Nec putes congruentius esse eas consumendas porrigere Laico praesenti, qui paulò ante Eucharistiam sumpsit, etsi nec dum ieiunium soluit. Hac enim particularum sumptio esset noua Communio, à priori distincta respectu Laici, non autem respectu Sacerdotis, ad cuius officium spectat sacrificium perficere, & integrè consumere.

III. Et valde vulgaris casus est, quando aliquis in extremis positus Viatico indiget, nec sine periculo differre potest communionem in aliud tempus, ut ieiunus communicet: tunc enim ille omnium consensu, sumpto cibo communicare potest. Imò quamuis possit ante cibum Eucharistiam sumere, si ad ipsam intempesta nocte deferatur, magis expedit ob reuerentiam Sacramenti, ut ieiunio soluto expectet, donec ipsi congruo tempore, & reuerenter administrari queat.

An autem qui in articulo mortis communionem semel sumpsit non ieiunus, possit iterum in eadem infirmitate communicare non ieiunus, dubitatur inter Authores, quorum aliqui negatiuam partem tulerunt, alij & multò plures, affirmatiuam, cui praxis Ecclesiae fauet. Quia etsi agrotus per primam communionem impleuerit praecipuum diuinum; de sumenda Eucharistia in periculo mortis, si tamen adhuc per plures dies idem periculum durat, pia mater Ecclesiae verisimiliter non intendit ut priuetur hoc Sacramento, quod ad roborandum illius animum, contra tentationes tunc occurrentes multum conducere potest.

Sed adhuc quaeritur, quanta intercedere debeat temporis distantia, inter duas communiones ieiunio soluto factas. Aliqui dicunt requiri triginta dies, sed hoc nimis rigidum est, & communiter rejicitur. Alij putant sufficere tres dies, imò si quis agre abstinet vel vna die sanctissimo Sacramento, quidam aiunt eum statim sequenti die posse communicare non ieiunus, modo periculum mortis instet. Verum haec opinio nimis laxa videtur, adeoque standum com-

muni-

inuniori sententia quae spatium unius hebdomadae inter utramque Communionem postulat.

Vnde qui ob mortis periculum die Dominica v. c. viaticum sumpsit non ieiunus, potest se uenti Dominica iterum communicare post cibum, si adhuc medicorum iudicio periclitatur, nec potest commode ante sumptionem cibi, aut medicinae ad Eucharistiam accedere. Quod si periculum illud per plures hebdomadas durat, aut renouatur, toties potest infirmus, etsi non ieiunus, communicare, si aliter ad hoc Sacramentum accedere nequit.

Non est necesse, ut qui accedit ad Eucharistiam, digesserit cibum praecedentis diei, aut post illius sumptionem dormierit, hoc enim nullo iure praecipitur. Quare qui in Vigilia Natiuitatis Domini, paulo ante mediam noctem comedit potest in Missa, quae post mediam noctem celebrari solet, Eucharistiam sumere, etsi non dormierit, & cibum non digesserit. Quia cum ieiunium incipiat a media nocte, id non impedit quin ieiunus ad communionem accedat.

Non est peccatum statim post communionem cibum sumere; expedit tamen ob reuerentiam Sacramenti, ut comestio aliquandiu differatur.

Respondeo 2. etsi nonnulli existiment, non esse peccatum veniale per se loquendo, accedere ad Eucharistiam statim post confessionem cuiuscunque peccati mortalis & eadem die commissi. probabiliorem tamen videri eorum sententiam qui dicunt, peccatum saltem carnale impedire sub veniali sumptionem Eucharistiae, ea die qua commissum est, etsi per confessionem deletum sit. Quia negari non potest, quin tam cito post huiusmodi foeditatem corporalem, accedere ad hoc Sacramentum, sit quaedam irreuerentia venialis erga Christum, totius puritatis Authorem, nisi causa aliqua grauioris momenti communionem tunc suadeat.

Dico sub veniali, quod enim dicunt aliqui, esse peccatum mortale accedere ad hoc Sacramentum, ante diem

diem integrum post quodcunque peccatum mortale etiam contritione & confessione deletum, nullo iure, aut solida ratione probari potest; adeoque ut omnino improbabile reiiciendum est.

Spectabit tamen ad prudentiam confessarii, interdum præcipere pœnitenti qui incidit in peccatum mortale, ut aliquandiu differat communionem, etiam absolutionem sacramentalem à tali peccato impenderit, si nimirum ex vna parte nulla sit causa vrgens tam cito accedendi ad Eucharistiam, & aliunde dilatio communionis per aliquot dies, ipsi pœnitenti profutura iudicetur. Quod maxime accipiendum est de priuata communionem, nam cum iusta causa celebrandi Missam sæpius occurrat, eo quod sacrificium Missæ in bonum commune ordinatur, non tam facile debet Sacerdos ob peccatum dimissum impediri celebratione Sacri, quam non Sacerdos à priuata communionem.

Non est peccatum communicare post nocturnam pollutionem, quæ sine vilo peccato accidit. Neque etiam peccant coniuges, qui post copulam carnalem inculpate habitam ad Eucharistiam accedunt. Ex congruentia tamen & honestate, communionem aliquanto tempore differre debent, ut cum maiori animi, & corporis puritate accedere possint.

Respondeo 3. Eucharistiam sumendam esse cum gestu corporis, & vestitu modesto, ut res ipsa per se satis loquitur. Vnde obiurgandæ sunt mulieres illæ quæ fucata facie, & pectore aperto ad hoc Sacramentum accedunt; imò & nisi resipiscant à communionem repellendæ propter scandalum quod inde oriri solet.

ARTICVLVS III.

*Quanam dispositiones requirantur ex parte anima,
ad dignam susceptionem Eucha-
ristia.*

RESPONDEO I. requiri statum gratia; quia hoc est sacramentum viuorum, quod non nisi vita spirituali praedictis conferri debet. Unde accedere ad illud cum conscientia peccati mortalis, graue est peccatum mortale, eoque grauius, quo maius est peccatum cum quo acceditur.

Respondeo 2. non sufficere statum gratia;, sed praeterea requiri confessionem in eo qui peccauit mortaliter, et si per actum contritionis, extra Sacramentum iustificatus sit. Hac enim est probatio illa, quam Apostolus sumptioni Eucharistia; praemittendam docet, vt statuitur in Concil. Trident. sess. 13. cap. 7.

Unde hoc obseruandum est discrimen inter Eucharistiam, & reliqua Sacramenta, quod sumens Eucharistiam tenetur prius confiteri, si habet conscientiam peccati mortalis, accedens vero ad alia sacramenta, cum conscientia peccati mortalis, non tenetur praemittere confessionem sacramentalem, sed sufficit quod ea cum contritione suscipiat. Excipit, nisi etiam in eorum susceptione communicare debeat, vt fit in sacra ordinatione, tunc enim ratione Eucharistia;, peccati mortalis confessio praecedere debet.

Potest tamen quis habens conscientiam peccati mortalis, communicare sine confessione, iuxta Trident. loco citato quando duae circumstantiae occurrunt, altera vt sit necessitas sumendi Eucharistiam, altera vt desit confessarius. Circa hoc autem duplex difficultas tractari potest. prior ad quos casus se extendat

tendat necessitas illa communicandi, propter quam deficiente confessario licet non præmissa confessione ad Eucharistiam accedere. Posterior, in quibus scribitur censeatur non haberi copia confessarij. Verum hæc dubia commodius expenduntur sequentibus articulis.

Respondeo 3. ad omnino dignam susceptionem Eucharistia, requiri vt suscipiens doleat de peccato veniali, quod antea commisit, & in ipsa susceptione committat peccatum veniale. Ita vt venialiter peccet, tum si accedat sine vlllo dolore peccati venialis, cuius remissionem nondum obtinuit, tum maxime si in ipsa susceptione Eucharistia peccatum veniale actu perpetret, vt si motum vanæ gloriæ admittat, aut distractionem non reiiciat. Non enim negari potest, quin sit aliqualis irreuerentia erga hoc sanctissimum Sacramentum, cum ea dispositione ad illud accedere. Ac præterea quia sic accedens, ponit obicem quibusdam effectibus secundariis Eucharistia, nempe remissioni peccatorum venialium, & feruori charitatis; esto non ponat obicem augmento gratia, quod est effectus illius principalis.

Hinc autem collige, Eucharistiam per se loquendo, cum actuali attentione, & deuotione sumendam esse, vt integrum effectum in suscipiente habeat. Quod tamen non impedit, quin possit administrari Eucharistia, ei qui post vsum rationis, incidit in amentiam, si versetur in periculo mortis. Ille enim si iustus est, potest recipere augmentum gratia virtutis huius Sacramenti; si verò in peccato mortali versatur, fieri potest vt ante amentiam actum attritionis elicuerit, adeoque per susceptionem Eucharistia iustificetur. Quare si probabiliter constat amentem, vel esse iustum, vel de peccatis præteritis sufficienter doluisse, antequam incidere in amentiam, tenetur parochus ei in extremisposito Eucharistiam porrigere, modo sine periculo irreuerentia id fieri possit.

Quo loco quatuor obseruanda sunt, I. Non esse dandum.

dam Eucharistiam amentibus, si iudicio medici vsu rationis sint recuperaturi, antequam è vita excedant, sed expectandum donec delirium cessauerit.

II. Ex communi sententia non esse porrigendum Eucharistiam amentibus corpore sanis, ad seruandum præceptum Ecclesiasticum de communione Paschali, sed tantum extremè laborantibus, ne sine viatico intereant.

III. An amentes decenter communicaturi sint, posse deprehendi, si prius ad periculum faciendum, detur illis hostia non consecrata, si enim illam sine irreuerentia sumant, poterit illis Eucharistia porrigi, se, us si irreuerenter se habeant.

IV. Eos qui amentia minimè perpetua laborant, posse communicare quando lucida habent interualla; itemque semifatuos ad communionem Paschalem admitti posse.

ARTICVLVS IV.

Quanam necessitas sufficiat, ut quis defectu confessarii, non præmissa confessione peccati mortalis, ad Eucharistiam accedere possit.

RESPONDEO I. necessitatem communicandi in periculo mortis, ad seruandam præceptum Diuinum, sufficere ut defectu Sacerdotis, liceat non præmissa confessione peccati mortalis, ad Eucharistiam accedere. Vnde in eo periculo constitutus, potest cum contritione Eucharistiã à Diacono accipere.

Respondeo 2. probabile esse, etiam quando instat præceptum Ecclesiasticum communicandi in Paschate, carentem confessario, posse non præmissa confessione peccati mortalis, Eucharistiam recipere, modo probabiliter contritus sit. Si quidem tunc adest necessitas comunicandi ob præceptum Ecclesie, adeo-

que Concilium Trident. de casu illo commodè intelligi posse videtur. Quod autem addunt aliqui, deficiente confessario, licere accedere ad communionem, non præmissa confessione peccati mortalis, diebus Festis, cum quis se sperat ex ea communione fructum non exiguum percipiturum, parum tutum videtur; cum nulla tunc sit necessitas communicandi, & fructus ille aliis modis suppleri possit.

Respondeo 3. carentem confessario, posse contritum ad Eucharistiam, sine confessione accedere, quotiescunque non potest omittere communionem sine gravi infamia, vel scandalo. Quia præceptum præmittendæ confessionis susceptioni Eucharistia, non tam censetur obligare, quàm præceptum conservandi propriam famam, & vitandi scandalum.

Respondeo 4. ex aliquorum sententia, cum qui iam ad linteum Mensæ Divinæ communicaturus accessit, & recordatur alicuius peccati mortalis in confessione obliti, non teneri surgere è Mensa ad quaerendum confessarium, sed posse non præmissa confessione talis peccati ad Eucharistiam accedere, etiam citra periculum scandali, vel infamiae. Quia ille iam iustificatus est per confessionem formaliter integram, & aliunde valde indecens est quod a Sacra Mensa recedat, ante sumptam Eucharistiam. Verùm hoc aliis communiter non placet, neque etiam nobis probatur, nisi quando non potest quis ab altari ante communionem recedere, sine aliqua infamia, & adstantium scandalo. Quia alias non habet locum necessitas illa communicandi, quam exigit Concilium, ut liceat communicare, non præmissa confessione peccati mortalis.

Vbi nota, nonnullos Authores merito hic distinguere inter scandalum & populi admirationem. Dicunt enim solam admirationem non sufficere, ut quis communicet sine confessione peccati mortalis, sed requiri scandalum propriè dictum, quod habet

habet locum, quando datur occasio detrahendi de proximo, eumque infamandi. Vnde aiunt, eum qui ad lintheum communicurus accessit, & recordatur peccati mortalis non confessi, teneri hinc recedere, ut ab illo peccato absoluaturs ante Communionem, si ex eo recessu nihil aliud sequitur, quam quædam adstantium admiratio, posse vero communicare non præmissa confessione talis peccati, si ex illius recessu adstantes sumpturi sunt occasionem de eo detrahendi, vel temerè iudicandi.

Si quæras, an quando quis communicat cum conscientia peccati mortalis, inculpabiliter in confessione prætermitti teneatur elicere actum contritionis, antequam sumat Eucharistiam. Respondeo id non videri absolutè necessarium, cum supponamus illum per confessionem fuisse etiam à tali peccato iustificatum, adeoque in statu gratiæ versari. Non dubium tamen quin longè tutius sit, cum ea dispositione accedere.

ARTICVLVS V.

In quibus casibus censetur deesse Confessarius

RESPONDEO deesse confessarium, tum quando neque præsens adest Sacerdos, neque sine graui incommodo, spectatis iuxta viri prudentis arbitriū, personarum locorum, & temporum circumstantiis, conueniri potest. Tum quando adest quidem Sacerdos sed ille caret iurisdictione necessaria ad absoluumdum à peccatis mortalibus, vel à reseruatis quibus communicurus obstrictus est. Tum quando etsi Sacerdos præsens sufficienti iurisdictione præditus sit, periculum tamen est ne sigillum Sacramentale frangat, aut grauiter noceat pœnitenti, si peccatum mortale quod commisit, illi manifestet.

Vbi nota I. sufficere in articulo mortis, quod adfit simplex Sacerdos carens iurisdictione, tunc enim il-

le potest ex confessione Ecclesie, absoluerè à quibuscumque peccatis Quare si moriens habet copiam talis sacerdotis, tenetur ei confiteri peccata mortalia, quorum habet conscientiam, antequam communicet; imò etsi communicare non possit.

Si verò dum vrget Præceptum Ecclesiasticum cõmunionis Paschalis, aut alias quando communio sine scandalo, vel graui nota omitti nequit, adest tantum simplex sacerdos, carens iurisdictione in mortalia, tunc absolute videtur deesse confessarius, adeoque ad Eucharistiam, non præmissa confessione, accedere licet. Si tamen communicaturus putat se tantum esse attritum, tenetur confiteri venialia simplici sacerdoti, vt vi Sacramenti ex attrito fiat contritus, & ad Eucharistiam cum gratia accedat.

Not. 2. cum qui habet casum reseruatum, posse non præmissa illius confessione ad Eucharistiam accedere, quando instat necessitas communicandi, nec adest confessarius habens iurisdictionem in reseruata. Dico, non præmissa illius confessione, nam si præter peccatum reseruatum, habet alia mortalia non reseruata, tenetur ea confiteri, si habet copiam sacerdotis approbati. Quod autem dicunt aliqui, cum teneri tunc confiteri etiam peccata reseruata, id quidem tutius est, sed non necessarium, cum maneat obligatio eadem peccata aliàs confitendi, nimisque durum sit, pœnitentem, ad eadem peccata bis confitenda, cogere.

Hinc autem nonnulli colligunt, si non potest Religiosus sine scandalo, vel infamia cõmunionem aliquo die omittere, & Superior non vult dare facultatem ipsius confessario, viro pio & prudenti, ad confessiones Regularium audiendas approbato, & exposito, cum absolueri a peccato reseruato, tunc perinde esse ac si non adesset confessarius, adeoque licere prædicto Religioso ad Eucharistiam, sine confessione accedere. Quia nimis durum, & tyrannicum est cogere

cogere inferiores, vt se Superiori ipsi præsentent, ad obtinendam ab solutionem à reseruatis.

Imo addunt aliqui, eo ipso quod Superior immediatus pluries requisitus, negauit prædictam licentiam, posse Religiosum absolui à suo confessario, ex tacita concessione maiorum Superiorum, nempe Prouincialis, aut Generalis, vel ipsius Papæ, qui tunc censetur eam concedere, ne casuum reseruatio, quæ in bonum spirituale subditorum facta est, in maiorem eorum perniciem vergat. Hoc tamen non caret periculo; adeoque in praxi minimè consulendum videtur. Quamquam non dubito, quin grauius peccent Superiores, nisi faciles se præbeant in concedenda prædicta licentia.

Nota 3. cum qui dum instat necessitas communicandi, habet tantum peccatum mortale, quod sine graui periculo manifestare nequit, posse non præmissa confessione, ad Eucharistiam accedere; si vero aliorum peccatorum mortalium, ex quorum reuelatione nullum sibi graue damnum timet, conscius est, teneri eorum confessionem Eucharistiæ sumptioni præmittere.

Atque hæc dicta sint de communione Laica. *Quod si speciatim* inquiras, in quibus casibus possit Sacerdos carens confessario, sacrum facere non præmissa confessione peccati mortalis: Respondeo eum id posse in variis casibus: 1. quando tenetur ex officio celebrare, vt alij Missam audiant. 2. Quando Hostia consecranda est, vt viaticum detur morienti. 3. si nequeat sacrum aliquo die omittere sine nota, vel scandalo. 4. si aliquo die Festo non possit sacro assistere, nisi ipsemet celebret.


Vbi nota 1. quod si Sacerdos post consecrationem aduertit se esse in peccato mortali, tenetur sacrum prosequi, & communicare sine confessione, etsi adsit præsens Sacerdos cui confiteri possit. At si recordatur peccati mortalis ante consecrationem, debet ad altare vocare Sacerdotem vt illi confiteatur, si id
sine

sine incōmodo fieri possit. Quod si id fieri nequeat
vel potest sine infamia sacrum inchoatum relinque-
re, vel non potest; si non potest, debet prosegui ut vi-
tet infamiam; si potest, quamuis non peccet sacrum
prosequendo, tutius tamen est ut ab altari recedat.

Nota 2. ex Concil. Trident. vbi supra, Sacerdotem
qui urgente necessitate absque praua confessione
celebrauit, debere quamprimum confiteri. Quae ver-
ba ita communiter intelliguntur, ut contineant re-
rum praeceptum, adeoque Sacerdos peccet mortali-
ter nisi confiteatur, vel statim finita Missa, ut aliqui
putant, vel certe intra duos, aut tres dies ut alij opi-
nantur. Porro hoc praecepto non ligatur Sacerdos,
qui habens copiam confessarij, celebrat sine confes-
sione peccati mortalis; quia ille non celebrat ex ne-
cessitate sine cōfessione, sed ex malitia. Neque etiam
ligatur Laicus, communicans ex necessitate sine con-
fessione, quia Concilium non loquitur de commu-
nicante, sed de celebrante. Ex quo patet Sacerdotem
in necessitate communicantem more Laicorum,
non praemissa confessione peccati mortalis, praedicto
praecepto non constringi.

Nota 3 praeceptum ieiunij seruandū ante sumptio-
nem Eucharistiae, magis quodammodo obligare
quàm praeceptum praemittendae confessionis. Si qui-
dem ex communi sententia, potest Sacerdos carens
confessario, sacrum facere non praemissa confessione
peccati mortalis, ut det viaticum morienti: at quam-
uis Sacerdos ritè confessus sit, si tamen non sit

ieiunus, ei nequaquam licet sacrificare,
ad Eucharistiam in extremis
constituto administran-
dam.



CAPVT IV.
DE IV. ECCLESIAE
PRÆCEPTO.

QVO IVBEMVR CERTIS
anni diebus ieiunare.

ARTICVLVS I.

Quid intelligatur nomine ieiunij.



RESPONDEO ieiunium, etsi interdū
moraliter sumatur abstinentia à
peccatis, significare propriè absti-
nentiam a cibis; Sicque esse in tri-
plici differentia: aliud enim est ie-
iunium naturæ, aliud virtutis, aliud
Ecclesiasticum; de quo præsertim

hic agendum est.

Ieiunium naturæ dicit omnimodam abstinentiam
à cibo & potu, quale seruandum est ex præcepto Ec-
clesiæ, ante communionem, nisi in articulo mortis,
vt supra dictum est.

Quæret hic aliquis, an iure naturæ prohibitum sit
vesci carnibus humanis, etiam in extrema necessita-
te. Nonnulli affirmant, verum probabilius aliis vi-
detur id non esse per se illicitum, adeoque cum non
peccare, qui carens quocunque alio cibo, carnibus
hominis occisi vescitur. Quia ius naturale conser-
uandæ propriæ vitæ, talem esum honestare videtur:
vnde multo magis licitum est in necessitate, vti car-
nibus hominis occisi, per modum medicinæ.

Verum non licet aliquem occidere eo fine, vt quis
alio cibo carens, eius carnibus vescatur. Imò proba-
bile

bile est neminem teneri vesci carnibus hominisocii, etsi omni alio cibo careat, sed quemlibet posse licite mortem suam permittere, ne cogatur facere quod horrorem non exiguum inducit, & speciem aliquam inhumanitatis præ se ferre videtur.

Ieiunium virtutis dicit abstinentiam à cibo & potu, iuxta regulas temperantiæ; ita ut tale ieiunium frangat, qui spectata propria complexione, plus cibi aut potus sumit, quam sit necessarium ad corporis valetudinem debite tuendam.

Vndenotabiliter excedere regulas temperantiæ, cibis se ingurgitando, est per se loquendo peccatum mortale, quod non parum augetur ex omni nocumento inde oriri solito. Et similiter sponte se inebriare, videtur ex se & secluso quocumque damno alio, aut periculo, peccatum mortale; cum eiusmodi excessus rectæ rationi grauitur repugnet.

Quod intelligendum de perfecta ebrietate, qua scilicet quis ex nimio potu rationis usu omnino priuatur: non de imperfecta, quæ facit hominem paulo hilariorem, illiusque phantasiam aliquantulum perturbat: ista enim ex se est tantum venialis.

Sunt qui dicunt, ebrietatem quæ propter sanitatem corporis, medicorum consilio procuratur, non esse peccatum mortale: quia in ea circumstantia ebrietas non est mala intrinsecè, nec est porus immoderatus. Verum alij cautiùs loquentes aiunt, non esse licitum procurare ebrietatem, posse tamen suauitatis causa potum alias immoderatum sumi, etsi eo præuideatur sequutura ebrietas: sic enim non intenditur ebrietas, sed tantum ex causa rationabili permittitur. Ad eum modum quo nunquam licet procurare, vel intendere pollutionem: licet tamen eam interdum ex causa honesta permittere; seu aliquid facere ex quo præuideatur sequutura.

Qui sponte se inebriat, præuidens se in ebrietate aliquè grauitur vulneraturum, aut occisurum, peccat mortaliter, non tantum quia se inebriat, sed etiam

tiam quia habet voluntatem virtualem, seu implicitam laedendi, vel occidendi. Vnde per se loquendo, duplex peccatum mortale se inebriando committit, etsi forte malum prauisum ex ebrietate non sequatur.

Ieiunium Ecclesiasticum est abstinencia à quibusdam cibis, iuxta praescriptum Ecclesiae, vel receptam consuetudinem. Dico à quibusdam cibis, nam ex communi sententia, hoc ieiunio non est indicta abstinencia à vino, vel alio potu, vt sic.

Ad ieiunium Ecclesiasticum tria requiruntur, nempe, vt certis cibis absteineatur, vt vnica tantum sumatur refectio, vtque ad sumendam refectioem hora competens seruetur: de quibus omnibus sigillatim agendum est.

A R T I C V L V S I I

Quibus cibis abstinendum sit tempore ieiunij Ecclesiastici.

RESPONDEO I. non modo in Quadragesima, sed etiam aliis diebus ieiunij ab Ecclesia statutis, abstinendum esse à carnibus, vt satis vel ex communi fidelium praxi perspicuum est.

Imo in Sabbatis, & feriis sextis totius anni abstinendum est à carnibus. Quando tamen Natale Domini in aliquam ex iis diebus incidit, non fit abstinencia à carnibus. Et in quibusdam Prouinciis Galliciae, à Natiuitate Domini vsque ad Purificationem Beatæ Virginis, licet diebus Sabbati carnes comedere.

In nonnullis verò locis Hispaniæ, animalium capita, pedes, iecur, pulmones, & intestina comedi solent singulis totius anni Sabbatis, iis exceptis quæ in Quadragesima, quatuor Temporibus, & in Peruigilijs Sanctorum quibus ieiunandum est, contingunt.

Cum

Cum hoc ieiunium essentialiter includat abstinētiā à carnibus, ille non tenetur ieiunare, ex probabiliore sententiā, qui à superiore obtinet facultatem comedendi carnes in die ieiunii. Quod verius existimo, non modo si eam dispensationem obtineat pro presenti infirmitate, sed etiam si ad futuram cauendam, qualiter Regibus dari solet, etsi bene valeant. Vnde à fortiori potest sic dispensatus, comedere oua, & lacticia.

Non soluunt ieiunium nec peccant coqui, infirmarij, & similiter qui carnes prægustant, antequam Dominis, vel infirmis eas ministrant; quia parum pro nihilo reputatur.

Respondeo 2. diebus ieiunij Quadragesimalis abstinendum etiam esse ab ouis, & lacticiis; qua tamen in re locorum consuetudo spectanda est. Porro quod dicunt aliqui, non esse obligationem nisi sub veniali, abstinendi ab ouis tempore Quadragesimae, existimo admitti non posse, scilicet in Gallia, vbi Doctorum, & piorum hominum iudicio, consuetudo opposita maiorem haud dubie obligationem inducit.

Adultus qui diebus ieiunio dicatis non tenetur ieiunare, siue defectu aetatis, siue ob legitimam dispensationem, tenetur nihilominus à carnibus, aliisque cibis prohibitis abstinere. Loquor de adulto, nam infantibus quibus ratio nondum illuxit, oua, & carnes etiam in Quadragesima, dari possunt.

Potest seruari ieiunium tempore Quadragesimae, etsi ex dispensatione oua & lacticia comedantur. Quare in iis dispensatus, non propterea censetur dispensatus à ieiunio, adeoque nec carnibus vesci, nec sero cenare debet.

Quidam existimant, eum qui diebus Quadragesimae habeat facultatem comedendi oua non habere eo ipso facultatem vtendi lacticiis, aut vice versa, quia haec diuersa sunt. Verum cum oua, & lacticia ex carne originem ducant, ea videntur in iure 2. quipa-

quiparari; adeoque dispensatus in vno, censeri potest dispensatus in alio.

Quando alicui datur facultas comedendi oua tempore prohibito, non ideo censetur ei ablata facultas comedendi etiam pisces. Vnde, quicquid dicant aliqui, potest ille in eadem refectioe, ouis simul & piscibus vesci.

Nonnulli existimant, iis quibus conceditur facultas comedendi oua, & lacticina, concessam censeri ex consequenti facultatem comedendi faginem, seu lardum; sed quidquid sit de aliis regionibus, certè in Gallia prædictam concessionem non adeo extendendam esse, consuetudo ipsa vbique recepta satis ostendit.

Dicunt aliqui, non esse peccatum comedere in Quadragesima panes illos quos Itali Biscottos, Hispani verò Biscochos vocant, eo quod substantia ouis versa est in aliam substantiam. Verùm hæc sententia in his partibus sequenda non est, cum ex communi consuetudine, non tantum ouis in se, sed etiam aliis ex ouis confectis tempore Quadragesimæ abstineamus.

ARTICVLVS III.

Quotuplex refectio in die ieiunij sumi possit.

RESPONDEO I. vnicam tantum, vt ex vsu constat. Consuetudo tamen inualuit, vt ieiunantes sumant præterea vesperi refectiunculam, quam collationem vocant, de qua postea.

Vsus vini extra has refectioes non frangit ieiunium Ecclesiasticum, etsi temperantiæ repugnet, quando sumitur in maiori quantitate quam par sit. Imo ne potus noceat, licet sumere per modum medicinae, frustulum panis, vel duas ficus, aut quid simile.

Addunt communiter Authores, non esse peccatum aliquid exiguum sumere vrbانيتatis causa, vt fieri solet

fo. c. t

dum amicus amicum vitat. Verum non excusatur à peccato mortali qui in fraudem ieiunii plures eadem die inuiseret amicos, ea intentione ut à singulis inuitatus, pluries comederet.

Videtur etiam ius ex herbis confectum nullā, aut valde exiguam vim nutriendi habens, sed per modum medicina, ad temperandum nimium calorem dari solitum, sine violatione ieiunii extra refectionem sumi posse. Secus dicendum de amigdalato, similibusque potabilibus, quibus ex se magna vis reficiendi, & nutriendi competit.

Ille non peccat, qui ante absolutam refectionem, alicuius negotij causa surgit è mensa, & postea redit ut integrè reficiatur, modo intra adeo breue tempus redeat, ut idem pradium moraliter censeatur instaurari. Quod si post sufficientem refectionem surgat, animo non redeundi, & mutata intentione iterum accumbat cum iisdem conuiuis, & comedat, probabile mihi videtur eum frangere ieiunium, & peccare. Quia cum prandium completum fuerit, sequens comestio non potest integrare vnā refectionem cum illo, adeoque est illicita.

Qui per secundam comestionem illicitam ieiunium violat, tunc quidem per se loquendo peccat mortaliter, non tamen postea ex communiore sententia, contra præceptum ieiunii peccat, etsi iterum, & sapius comedat, esto contra temperantiam peccet. Quia ieiunium semel violatum amplius seruari non potest.

Neque propterea inde colligas, eum non committere nisi vnū peccatum mortale, qui pluries in die prohibito carnes comedit. Siquidem præceptum negatiuum non comedendi carnes est absolutum, & obligat pro omnibus partibus talis diei, adeoque violatum pro vna hora, seruari potest, & seruandum est pro alia.

Respondeo 2. ex recepta apud omnes Catholicos consuetudinè, diebus ieiunii refectionem circa

Vespe

Vesperam licitè sumi posse. Est autem non exigua difficultas, in assignanda cibi quantitate, quæ in collatione sumi potest, qua in re melior regula assignari nequit, quam recepta inter viros doctos & timoratos cuiusque loci consuetudo, hanc enim quisque sine scrupulo sequi potest. Quod si interdum de ea sufficienter non constat, cum vrget præceptum ieiunij, moneo eorum sententiam valde mihi probabilem videri, qui præter tres, vel quatuor vncias parem ex herbis, & fructibus quantitatem licitè sumi posse existimant.

Alia difficultas est, an sicut in refectiuncula serotina interdicitur ciborum quantitas, ita eorum qualitas prohibeatur, etsi cibi ipsi in prandio sumi possint.

Respondent aliqui non ita strictè prohiberi ciborum qualitatem, sicut interdicitur quantitas: vnde quamvis fateantur communiori vsu receptum esse, vt in serotina refectiuncula sumatur ij tantum cibi, qui extra dies ieiunij, ante vel post prandium vsurpari solent, vt sunt poma, nuces, &c. aiunt tamen licitè sumi posse pisciculum, aut exiguam partem piscis maioris, quia adhuc substantia ieiunij subsistit. Verum Authores communissimè oppositum statuunt, adeoque monent non esse vsurpandos eos cibos in refectiuncula serotina, qui potissimum ad nutriendū in prandio sumuntur, vt sunt pisces, & legumina, sed tantum herbas, & fructus arborum cum pane.

ARTICVLVS IV.

De tempore ieiunij.

CIRCA hoc nonnulla inuestigari possunt i. quibus diebus ieiunandū sit. Respondeo iis omnibus quibus ex præscripto Ecclesiæ te unari solet, vt in Quadragesima, in Feriis quatuor Temporū, & in quibusdam Vigiliis Sanctorum. Vnde vel vno ex iis diebus, sine graui causa non ieiunans, peccat mortaliter.

Ide u

Idem dico de diebus, quibus ex recepta consuetudine, ieiunium indictum est: potest enim consuetudo noua ieiunia introducere, & antiqua abrogare. Si tamen consuetudo ieiunandi aliqua die, ex sola deuotione seruetur, non est peccatum per se loquendo, contra eam agere.

Præterea si quis uouit quibusdam alijs diebus ieiunare, tenetur ille sub peccato mortali uotum suum explere. Vnde qui uotum emisit ieiunandi omnibus Ferijs sextis totius anni cogitando de Natali Domini, & cum intentione se obligandi ad ieiunandum tali die, si Feria sexta occurrat, tenetur haud dubie ipso die Natalis Domini ieiunare.

Quod si de eo die non cogitauit, & dubitat an uoluit se pro illo obligare, uotum illius explicandum est iuxta morem Ecclesiæ, quæ non solet ieiunare nec à carnibus abstinere tali die. Quare uouens non modo non tenebitur tunc ieiunare, quin poterit uita conscientia carnes comedere.

Sed quid si uouit ieiunare die S. Bernardi, aut S. Francisci, & dies illa in Dominica contingat? Respondeo eum teneri ieiunare ipsa die Dominica, si expresse intendit ad hoc se obligare; in dubio autem teneri ieiunare præcedenti die Sabbati, iuxta morem Ecclesiæ, quæ ieiunium cadens in diem Dominicam, in Sabbatum præcedens transferre solet.

Queritur 2. à qua diei hora obligatio ieiunandi incipiat. Respondeo incipere à media nocte, & usque ad mediam noctem sequentem protendi, ut patet ex usu. Vnde qui die quo non ieiunatur, dubitans an mediam noctem audierit, carnes comedit, potest obseruare sequentis diei ieiunium. Qui uero die ieiunij dubitat, an media noctis hora pulsata fuerit, carnare non potest. Quia in hoc posteriori casu possessio stat pro ieiunio, non in priori.

Vbi tamen plura sunt horologia, non peccat contra præceptum ieiunij, qui die quo ieiunatur comedit, postquam unum horologium pulsauit mediam noctem,

noctem, etsi hora noctis de decima alibi nondum
sennerit. Quia iam probabile est diem completum
esse, adeoque præceptum ieiunij & additum am-
plius non obligare

Quia verò etiam probabile est diem completum
non esse, antequam alia horologia mediam noctem
pulsauerint, qui die quo non ieiunatur, tempore
prædicto cœnat, potest ieiunium sequentis diei ob-
seruare. Quod si utroque illo die præceptum ieiunii
vigeret, qui post auditum vnum horologium cœna-
ret, alterutrius diei ieiunium haud dubie solueret.

Quæritur 3. qua hora refectio sumi possit in die ie-
iunii. Respondeo quoad hoc seruandam esse recep-
tam locorum consuetudinem, vnde in quibusdam
locis hora competens ad soluendum ieiunium, est
meridies, in aliis verò, vt in Gallia, vsus inualuit vt
diebus ieiunii liceat prandere, statim post horam
vndecimam, vel semi hora ante meridiem.

Nonnulli existimant peccatum esse mortale, no-
tabiliter sine causa legitima, anticipare horam præ-
dictam in die ieiunii. Dicunt autem horam illam nota-
biliter anticipari, si refectio sumatur semihora ante
tempus ibi ex consuetudine seruari solitum. Verum
alii Authores non spernendi putant, nō esse nisi cul-
pam venialem, horam consuetam prandii vnica ho-
ra sine causa rationabili anteuertere. Quia non vio-
latur substantia ieiunii, sed tantum quædam illius
circumstantia, in qua olim variæ mutationes accide-
runt: vnde in ea sententia, nullum erit peccatū apud
nos hora decima, ex causa rationabili v. c. ad concio-
nandum, iter faciendum, &c. prandere.

Horam refectiois sine causa notabiliter antici-
pans, etsi peccet venialiter, non tamen ieiunium
violat, adeoque tenetur reliquo die ieiunare, ac si
hora solita pransus esset. Ex quo sequitur eum, qui
ex superiorum dispensatione habet facultatem præ-
ueniendi horam consuetam refectiois, non illico
liberum esse ab obligatione ieiunandi.

D

Ex

Excommuni sententia, non licet sine causa rationabili, collationem serotinā mane sumere, & ad vesperam prandere, & secus agens peccat venialiter. Ex causa tamen hac mutatio fieri potest, vt ob vigentia negotia, ratione itineris faciendi, &c.

Qui de ieiunio non cogitans, mane ieiunaculum collationi serotinā aequivalens sumpsit, tenetur ea die ieiunare, adeoque potest cenare sub vesperam.

ARTICVLVS V.

Quinam teneantur ad ieiunium.

RESPONDEO quemlibet Christianum teneri, post completum vigesimum primum annum; obseruare ieiunium ab Ecclesia indictum, nisi legitimā causā excusetur. Quanam autem causā à ieiunio excusetur, articulo sequenti diceretur.

Queri hic potest 1. an peregrinus teneatur seruare ieiunium speciale loci per quem transit. Respondeo 1. si agatur de vagis, qui nullibi certum habent domicilium, eos teneri per se loquendo, obseruare ieiunium speciale loci, in quo pro tempore degunt; quia aliās nullis legibus specialibus tenerentur, quod absurdum est. *Dico* per se loquendo, nam ratione indigentia, vagi vt plurimum ieiunare non tenentur.

Respondeo 2. viatores alibi domicilium habentes, non teneri obseruare ieiunium speciale sui oppidi, in loco vbi non viget. Ratio est, quia cum præceptum ieiunii pro tali oppido latum sit, extra illud non obligat. Et quamuis omnes oppidanos obliget, non tamen absolute, & secundum se, sed quatenus ibi commorantur.

Ex quo collige 1. te non teneri ad ieiunium tuæ parochiæ, si velis ea die transire ad aliam parochiam, in qua non ieiunatur. Si quidē præceptum ieiunii est indiuisibile, obligans pro die integro, non autem pro aliqua tantum illius parte; ita vt qui non tenetur aliqua

qua parte diei ieiunare, nō teneatur reliqua. Teneris tamen antequā exeas à carnibus abstinere, quia cū præceptum abstinendi à carnibus obliget pro singulis diei partibus tamdiu potest illud obseruare.

Collige 2. eum non peccare contra legem ieiunii, qui animo non ieiunandi transit è parochia in qua ieiunatur, ad aliam in qua non ieiunatur: Quia utitur iure suo. Transitus tamen ille nisi ex causa aliqua honestetur, videtur indicium intemperantiæ.

Respondeo 3. viatores teneri per se loquendo, ad obseruantiam ieiunii, & abstinentiæ communis, etsi in eorum patria non vigeat. Vnde non potest licite Castellanus, transiens per Galliam intestinis animalium vesci diebus Sabbati, etiam secluso scandalo. Nec licet ciui Mediolanensi, quatuor primis diebus Quadragesimæ Lutetia, vel Romæ carnes comedere.

Respondeo 4. ex probabiliore sententia, peregrinum transeuntem per locum in quo ieiunatur, ibique tota die ieiunii manentem, teneri per se loquendo ad tale ieiunium, etsi in illius patria non seruetur. Probat, nam cū omnium consensu, teneatur peregrinus ad leges speciales illius loci, quæ bonum temporale spectant; nulla ratio est cur eximatur à legibus eiusdem loci ad bonum spirituale ordinatis, qualis est lex ieiunii, audiendi sacri &c. Eo vel maxime, quia alias simul exemptus esset à legibus specialibus suæ patriæ, & loci per quem transit; quod absurdum videtur.

Quæritur 2. an ieiunium inductum per solam consuetudinem laicorum, obliget clericos, aut vice versa. Responsio communis est negatiua, quia diuersi sunt abstinentiæ modi, inter hos duos hominum status. Quare sicut vnus consuetudo alium à ieiunio non absoluit, ita nec ad ieiunium ligat, per se loquendo, & secluso scandalo.

Quod si ieiunium communi omnium personarum consuetudine alicubi inductum sit, tenentur omnes

nes tam clerici, quàm laici ibi commorantes illud obseruare: & idem die de Regularibus, qui Monasteria ibidem constituta habitant. Quos tamen communis sententia à ieiuniis, specialiter ab Episcopo indictis, citra scandalum, absoluit. Et si non à festis, vel interdictis: eo quòd ex iure ad hæc obligantur.

ARTICVLVS VI.

Quinam excusentur à Præcepto ieiunii.

RESPONDEO innumeras personas excusari. In primis excusantur *adolescentes*, qui nondum vigesimum primum ætatis annum expleuerunt, vt satis vsus ostendit. Quod ita intellige, vt ante illam ætatem ne quidem semel teneantur, ex vi huius præcepti, ieiunare.

Optimum tamen consilium est, eos ad ieiunia paulatim assuefacere, quantum sine graui incommodo fieri potest, ne cum primum, præceptum, urgebit, ob insolitam difficultatem ieiunare detrectent. Imò confessarii iis quos vident carnalibus vitiis deditos, aliqua ieiunia meritò imponere possunt, modò inde infamia, aut scandalum non sequatur.

Quod diximus generatim de adolescentibus, eos scilicet non teneri sub peccato, ad ieiunia Ecclesiastica, extendi debet ad Religiosos, qui vigesimum primum ætatis annum nõdum expleuerunt: ii enim eodem priuilegio gaudent, etsi ad ieiunia suæ Religionis teneantur, eo quòd sponte ad illa se obligarunt.

Et si adulti non teneantur ante vigesimum primum ætatis annum expletum ieiunare, tenentur tamen diebus ieiunio dicatis à carnibus, aliisque cibis prohibitis abstinere. Loquor de adultis, nam infantibus, quibus ratio nondum illuxit, oua & carnes, etiam in quadragesima, secluso scandalo dari possunt; cum legibus Ecclesiæ nondum adstringantur.

Ex-

Excusantur etiam à ieiunio *senes*, & si aliqua sit varietas in determinanda ætate, qua ab hoc præcepto liberari incipiunt, cum aliqui annum sexagesimum, alii septuagesimum assignent. Dicendum tamen videtur. 1. ordinariè senes expleto anno sexagesimo non obligari ad ieiunium, ob notabilem naturæ defectum ad interitum vergentis. 2. posse interdum contingere, ut quis in ea ætate sit valde robustus & vegetus, possitque sine graui incommodo ieiunare, adeoque illum qui sic affectus est, adhuc præcepto ieiunii obligari. Verum addo hac in re non esse scrupulosius agendum, & in dubio humanæ fauendum imbecillitati, fœminasque ut plurimum citius quam viros à ieiunio excusandas.

Præterea excusantur à ieiunio *agroti, ac infirmi, & debiles*, dolore capitis aut stomachi laborantes, aliique qui sine graui valetudinis incommodo, ieiunare non possunt. Vnde existimo eum à ieiunio excusari, qui nisi multum ad vesperam comedat, somnum necessarium capere nequit, aut qui ob inediam notabiliter debilitatur. In dubio autem an nocumentum ex ieiunio ortum sit notabile, oportet medicum, aut Superiorem consulere, eorumque iudicio stare. Quo loco aduerte, eum qui ob infirmitatem non potest ieiunare tota quadragesima, teneri ieiunare aliquot diebus qualibet hebdomada, si potest sine graui incommodo.

Fœminas grāuidas, & lactantes à ieiunio excusari, quando ex ieiunio periculum proli certò imminet, nimis perspicuum est. Imò eo casu ieiunare esset per se loquendo peccatum mortale. Quod si adeo sunt robustæ, ut vnica refectione possint sibi, & proli sufficienter prouidere, tunc multi putant eas teneri ad ieiunium. Verum quidquid sit de speculatione, existimo sententiam illam in praxi sequendam non esse.

Quidam Neotericus affirmat fœminam grāuidā, qua graues carnis tentationes patitur, teneri ieiunare.

nare, si aliter quàm ieiunando, eiusmodi tentationes superare non potest, licet aperte videat prolem perituram, aut notabile detrimentum inde passuram: quia iuxta charitatis ordinem, tenemur salutem nostram spiritualem præferre salutem corporali alterius. Verùm hæc opinio merito reicitur, cum alia sint remedia præter ieiunium, ad vincendas carnis tentationes; & aliunde proles vterò inclusa non possit de salute corporea periclitari, quin simulatema periculum subeat.

Multi docent excusari rursus *coniugatos*, qui si ieiunent, fiunt impotentes ad reddendum debitum, quia obligatio reddendi debiti maior est quàm ieiunandi. Item *uxores* quæ ieiunando deformes efficiuntur, adeo ut à maritis minus diligantur; & nondum nuptas quæ ieiunare non possunt, sine iactura pulchritudinis. Quia pia Mater Ecclesia non intendit, ut præceptum ieiunii seruetur cur tanto incommodo.

Cauendum tamen ne quis hac doctrina abutatur in fraudem ieiunii; non enim prædicta incommoda sequi solent, nisi ex diuturno ieiunio: quare non impediunt quin aliquoties, prudentis arbitrio, ieiunandum sit.

Non puto sufficere ad excusandam foeminam à ieiunio; præceptum mariti, nisi coniunctum sit cum minis, aut graues discordiæ inter eos timeantur, si foemina ieiunet. Non enim æquum est, ut secluso quocunque graui damno, præceptum hominis Ecclesie præcepto anteponatur. At ubi graue damnum instat, Ecclesia non intendit ut suum præceptum obliget. Si tamen vir in contemptum Ecclesie id præciperet, nequaquam ei obediendum esset. Quia id vergeret in contemptum ipsius Christi, cuius honor propriæ vitæ præferri debet.

Excusantur etiam à ieiunio, *artifices* omnes qui artem valde laboriosam exercent, ut fabri ferrarii, agricolæ, & similes. Non autem alii quorum labor est exiguus,

exiguus, vt factores, barbitonfores, &c. Et si aliqui generat in omnes operarios excusent.

Artifices illi qui à ieiunio excusantur, quando laborant, et si aliquo ieiunii die non laborent, non debent tunc cogi ad ieiunium; quin potius ratio postulat, vt sapius comedendo vires ex precedenti labore debilitatas, reficiant, & ad sequentem laborem componant.

Excusantur quoque à ieiunio, qui longum iter pedibus conficiunt: vocatur autem longum iter, quod ex 12. aut 15. milliariis Italicis constat, quibus respondent sex, aut septem leuca Gallicae communes. Non tamen excusantur qui equo iter faciunt; quod intelligendum puto communiter, quia interdum spectata itineris longitudine, locorum asperitate, Cœli inclementia, viatoris complexione, & similibus circumstantiis, itineratio adeo difficilis redditur vt à præcepto ieiunii excuset.

Opera etiam pietatis interdum à ieiunio excusant, vt dum quis concionando, docendo, libros scribendo infirmis curando, Sacramenta administrando &c. notabiliter defatigatur: adeo vt non possit eiusmodi opera debite exercere, si ieiunet.

Denique à ieiunio excusantur *pauperes*, qui hora prandii carent cibis ad integram refectionem necessariis. Illi enim sapius in die comedere possunt. Imò & interdum à carnibus abstinere non tenentur, defectu aliorum ciborum, quibus sufficienter sustentari possint.

ARTICVLVS VII.

Quinam à præcepto ieiunii dispensare possint.

RESPONDEO I. Summum Pontificem posse aliquē valide dispensare à præcepto ieiunii, etiam nulla rationabili causa intercedente. Quia cum sit præceptum iuris positiui humani, potest summus

D 4

Ponti-

Pontifex in eo, sine causa validè dispensare, quam non licitè.

Respondeo 2. Episcopum non posse sine causa rationabili, suum subditum validè dispensare in communi lege ieiunii; eo quod tale ieiunium per sedem Apostolicam inductum est, in quam Episcopus non habet auctoritatem. Vnde sic dispensatus non est per se loquendo, liber ab obligatione ieiunandi; adeoque peccat mortaliter non ieiunando, nisi bona fide excusetur.

Respondeo 3. quando causa non ieiunandi est perspicua, præceptum ieiunii non obligare, ac proinde tunc non esse necessariam dispensationem. Quando verò est dubia, ad eundem esse Superiorem; nempe Episcopum, vel eius Vicarium Generalem, aut si illi commodè adiri non possunt, propriam Parochum qui non ex iure, sed ex consuetudine, in eo casu validè, & licitè cum aliquo dispensare potest.

Respondeo 4. quando causa dispensandi est dubia, Superiorem posse, & debere dispensationem absolute concedere, non autem rem in conscientiam subditi relinquere, ut à plerisque Superioribus scrupulosius fieri solet; qui hoc dispensandi modo subditos peccandi periculo manifestè exponunt. Et quod circa ieiunium observamus, ad horas canonicas, aliæque præcepta Ecclesiastica applicari debet.

Respondeo 5. posse interdum ex graui causa, transferri ieiunium Ecclesiasticum in aliam diem, auctoritate Episcopi. Vnde quando dies S. Mathiæ contingit in prima die quadragesimæ aut die præcedenti, congruum est ut illius ieiunium transferatur in diem Sabbati præcedentem, ut ea ratione materia peccandi multis subtrahatur.

ARTICVLVS. VIII.

Quandam peccent cooperatores ad violationem ieiunii.

QVÆRITVR I. an peccet famulus, parans cibos prohibitos Domino, ieiunium, sine causa legitima, violare volenti. Responsio communis est non peccare, quia munus suum exequitur, ad quod aliàs ex contractu tenetur, nec potest sine damno tale quid recusare.

Quæritur 2. an peccet mortaliter pater familias cibos ad cœnandum, siue causa distribuens filiis, & famulis quo die ieiunare tenentur. Respondeo affirmatiuè, quia sic directè eos inducit ipso facto ad violationem ieiunii, de die si eos compellat ad laborem minime tunc necessarium, qui cum obseruatione ieiunii stare nequit. Item si iis denegat alimenta, ad vitam sustentandam, & ieiunium seruandum necessaria.

Dixi, sine causa, nã si ex subtractione cœnæ; filii, vel famuli occasionem probabiliter essent sumpturi furandi, aut negotia Domini negligenter, vel infideliter tractandi, existimo in eo casu minimè peccatum patrem familias, qui ad cauendum tale damnum, cibos ad cœnandum necessarios iis suppeditaret.

Quæritur 3. an peccent caupones præparando cœnam iis, quos probè norunt à ieiunio exemptos non esse. Respondeo affirmatiuè, quia cooperantur eorū peccato, quod tamen ex lege charitatis tenentur impedire, si commodè possunt. Nec refert quòd si recusent, petentes alibi cœnaturi sunt, non enim debent peccato cooperari, vt aliud peccatum impediant. At in dubio, an cibos petentes excusentur à ieiunio, bona fide porrigere possunt.

Quæritur 4. an qui in die ieiunii sufficientem habet causam cœnandi, peccet mortaliter, si amicum

D s

à præ-


à præcepto ieiunii minimè immunem, inuitet ad secum cœnandum. Respondeo affirmatiuè, quia cum moraliter impellit ad violationem præcepti, & consequenter ad peccatum mortale.

Quod verum puto, etsi alter cœnare recuset, quia quantum est ex se, cum impellit ad violationem ieiunii. Item etsi inuitatus esset alibi cœnaturus, nisi ibi inuitaretur: quia eo non obstante, inuitans verè est causa impellens ad ponendum actum illicitum, nempe ad cœnandum die prohibito. Quare sicut non licet inuitare ad fornicandum hic, eum qui alioqui esset alibi fornicaturus; ita non licet inuitare hic ad cœnam, die prohibito eum, qui seclusa tali inuitatione, a ibi esset cœnaturus.

Imò si inuitatus paratus sit alibi comedere carnes, non licet eum inuitare ad comedendos pisces; sicut parato committere adulterium, non licet ex communi sententia, positiuè consulere vt fornicationem perpetret: cum inuitatio ad cœnandum tempore prohibito, & ad fornicandum, sit intrinsecè mala, & rectæ rationi repugnans.

Potest tamen contingere vt inuitans cœnando non peccet, si nempe iam ante ieiunium violauit, vt patet ex supradictis. Quare tunc eum inuitare ad cœnandum die ieiunii, non esset per se loquendo peccatum: quia hoc non esset eum inuitare ad actum malum.

(*)



CAPVT V.

DE V. ECCLESIAE
PRÆCEPTO.

QVO FIDELES TENENTVR SVIS
Pastoribus decimas soluere.




DE Primitiis, oblationibus, & decimis sufficienter pro instituto nostro egimus in Idea Theologiae moralis lib. 4. c. 3. Quare hic tantum pro praxi tria obseruanda sunt 1. In solutione decimarum spectanda esse locorum consuetudinem. Ita vt quoad quantitatem soluendam, quoad bona ex quibus solutio fieri debet, quoad locum in quo solutio facienda est, quoad tempus soluendi &c. habeatur ratio consuetudinis receptae in loco, in quo quisque versatur

Obseruandum 2. non soluentes decimas grauitur peccare, & teneri ad restitutionem. Imo tam illos, quam solutionem decimarum impediens excommunicandos esse, iuxta decretum Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. de reformat. cuius haec sunt verba. Non sunt ferendi qui variis artibus decimas Ecclesiis obuenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis soluendas temere occupant, & in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Praecipit igitur sancta Synodus omnibus cuiuscunque gradus, & conditionis sint ad quos decimarum solutio spectat, vt eas ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali, aut quibuscunque alii Ecclesiis, vel personis quibus legitime debentur, integre persoluant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absoluantur. Hortatur dehinc omnes, & singulos

gulos pro Christiana charitate, debitoque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis, & Parochis qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, largè subuenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur. Vbi quod dicitur, prædictos non esse absoluendos, donec restituant, intelligi debet, modo restituere possint.

Observandum 3. non tantum eos peccare, qui decimas siue ex toto, siue ex parte non soluunt, sed etiam illos qui partem deteriorem mala fide tribuunt. Nam quamuis meliorem dare non teneantur, æquitas tamen exigit ut saltem mediocrem pendant. Unde secus facientes tenentur ad restitutionem, nisi bona fide excusentur.



OPUSCULVM II.

DE OFFICIO
CONFESSARII.



VM in præcedenti opusculo de Officio pœnitentiæ latè actum sit ratio doctrinæ postulare videtur, ut de officio ipsius Confessarii hoc loco accuratè tractemus. Totum autem hoc officium ad tria Capita reuocabimus, in quorum 1. agetur de prærequiritis in confessario antequam audiat confessiones. In 2. de reuocatis quando actu confessiones audit In 3. de reuocatis postquam confessiones excepit.

CAPVT I.

DE PRÆERE QVISITIS IN CONFES-
sario, antequam audiat confessiones.

ARTICVLVS I.

De ordine requisito ad confessiones excipien-
das.

VT quis sit legitimus minister sacramenti pœni-
tentia, tria requiruntur. In primis ordo sacerdo-
talis, adeo vt nullus qui non sit sacerdos, possit ab-
soluere sacramentaliter à peccatis, siue ex delegatio-
ne, siue ob quamcunque necessitatem, vt patet ex
Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. & Can. 10.

Vbi nota 1. sacerdotes in sua ordinatione accipere
duplicem potestatem, alteram in Christi corpus na-
turale, quod sumpsit ex Virgine, vt scilicet illud
ponant in altari, per transubstantiationem panis in
ipsum, Deoque offerant in sacrificium, pro peccatis
generis humani. Alteram in corpus Christi mysti-
cum, quod est Ecclesia; vt nimirum fideles à pecca-
tis absoluere, Deoque reconciliare possint.

Nota 2. Priorem potestatem tribui sacerdoti, quā-
do Episcopus ei tradens calicem & patenam, cum
vino & pane, dicit, *Accipe potestatem offerendi sacrifi-
cium,* &c. Posteriores verò postea, quando Episco-
pus imponens ei manus dicit, *Accipe Spiritum Sau-
ctum, quorum remiseras peccata.* &c. Vnde si ordinatus
priorem tantam, acciperet potestatem, posset qui-
dem validè conficere corpus & sanguinem Christi,
sub speciebus panis & vini, non tamen posset absol-
uere à peccatis, in sacramento pœnitentiæ.

Nota 3. potestatem remittendi peccata in sacra-
mento pœnitentiæ significari nomine clauium. Si-
cut enim per clauem aperitur ianua, & patet aditus

in domum; ita per potestatem illam tollitur peccatum, & aperitur ianua regni cœlorum. Porro sicut iudex in foro externo potest examinare reum, & sententiam in eum ferre; ita sacerdos in foro pœnitentiæ habet potestatem examinandi pœnitentem de peccatis mortalibus quæ patrauit, quantumvis secreta, vel interna sint, & cognito illius statu, sententiam in eum ferendi, vel eum absoluendo à peccatis & pœnitentiam proportionatam imponendo, vel absolutionem ei denegando, si ad illam non sit rectè dispositus. Et quidem prior illa potestas examinandi, dicitur clavis scientiæ, posterior verò sententiam ferendi, dicitur clavis potestatis seu iurisdictionis.

Ex hac autem doctrina inferitur, neminem in mortis periculo constitutum, teneri peccata sua confiteri non sacerdoti, si desit sacerdos a quo absolui possit. Poterit tamen licite in eo statu positus, peccatum aliquod declarare Laico prudenti, & pio, si probabiliter sperat se illius monitis ad veram contritionem excitandum. Verùm hoc raro consulendum quia vix caret periculo.

ARTICVLVS II.

De iurisdictione necessaria ad audiendas confessiones.

REQUIRITVR secundò in ministro huius sacramenti, iurisdictione in eum quem absolueri intendit. Ita vt absolutio non valeat, si detur à sacerdote non habente iurisdictionem in foro interno, & si pœnitens ad eum bona fide accedat. Hoc probatur ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 7. his verbis. *Quoniam igitur natura & ratio in dicit illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos*

in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.

Ex quo discursu patet 1. eos grauiter errare qui putant ordinem sacerdotalem sufficere, vt quis valide absoluat peccatis mortalibus, in sacramento pœnitentiæ. Cum enim Sacerdos absoluens se habeat vt iudex, sententiam proferens in subditum, & nemo præcisè ex vi ordinis sacerdotalis subditos habeat, hinc manifestum est, ad valorem absolutionis non sufficere in ministro ordinem sacerdotalem, sed præterea requiri vt habeat iurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam in eum quem absoluit. Ad eum modum quo in foro sæculari, nemo potest iudicium exercere, nisi in sibi subditum.

Quare illud est discrimen inter hoc, & reliqua sacramenta, quòd etsi alia non possint licitè administrari, nisi ab habente iurisdictionem, validè tamen sine illa administrantur; at sacramentum pœnitentiæ nec licitè, nec validè administratur à nō habente iurisdictionem. Vnde non est repetenda ordinatio, vel confirmatio facta ab Episcopo extraneo, seu qui non habet iurisdictionem in ordinatum, vel confirmatum; est tamen iteranda confessio peccatorum mortalium, facta sacerdoti non habenti iurisdictionem in pœnitentem.

Patet 2. duplicem esse iurisdictionem in hoc foro, nempe ordinariam, & delegatam, & alterutram ad valorem absolutionis sufficere. Ordinaria dicitur, quæ competit alicui ratione officii quo fungitur, quomodo summus Pontifex habet iurisdictionem ordinariam in omnes fideles, Episcopus in omnes suos Diœcesanos, & Parochus in eos qui in ipsius Parochia commorantur. Iurisdictione verò delegata ea dicitur, quæ tribuitur alicui ab habente ordinariam. Vnde summus Pontifex potest sacerdotem delegare ad confessiones audiendas in toto orbe: Episcopus in sua Diœcesi, & Parochus in sua Parochia. Cum eo tamen discrimine, quòd Papa potest alicui

con-

concedere facultatem audiendi fidelium confessiones, etiam inuitis Episcopis, & Parochis, & Episcopus inuitis Parochis; At non potest Parochus vice versa, dare potestatem sacerdoti audiendi confessiones suorum Parochianorum, inuito Episcopo, nec Episcopus, inuito Pontifice.

Quæres, an delegatus ad audiendas confessiones, possit alium subdelegare ad id muneris obeundum. Respondeo cum distinctione; nam duobus modis potest alicui delegari iurisdictio, *primò* ita ut immediate delegetur tantum certa & determinata iurisdictio, vel iurisdictiois executio, v. c. ad excipiendas Parochianorum confessiones: qua ratione Curati interdum in magnis solemnitatibus sacerdotes aduocant, ut ab iis in administratione poenitentia, & Eucharistia iuuentur. *Secundò*, ita ut ei immediate demandetur officium vicarii, annexam habens iurisdictioem ad sacramenta administranda, qua ratione Parochi delegant iurisdictioem iis, quos suos vicarios constituunt.

Dico igitur, eum cui demandatur nudum ministerium audiendi confessiones, non posse alterum subdelegare ad confessiones audiendas, cum hoc in illo non comprehendatur. Eum verò cui committitur ipsum officium Vicarii, posse potestatem confessiones audiendi alteri subdelegare. Quia cum ille vices gerat ordinarii, congruum est ut tali potestate non careat. Quia tamen non gerit officium tanquam proprium, hinc fit ut non possit totam iurisdictioem quam habet in alterum, transferre, sed partem duntaxat.

Addunt aliqui, delegatum ad vniuersitatem causarum v. c. ad audiendas omnes confessiones, posse subdelegare: Verum hoc generatim dici non potest, cum Religiosi, quibus ex privilegio licet audire omnium confessiones; non possint id munus siue ex toto, siue ex parte alteri sacerdoti subdelegare. Quare ut intelligas an delegatus possit subdelegare, videndum

dum est an sit delegatus ad nudum ministerium, an vero ipsum officium ipsi commissum sit: nam si priori modo delegatus sit, negandum est facultatem subdelegandi ei competere, & si ad vniuersitatem causarum delegatus sit; secus si posteriori, vt explicatum est.

ARTICVLVS III.

Quibus modis delegetur iurisdictio.

RESPONDEO I. Iurisditionem delegari ex iure communi, qua ratione potest simplex sacerdos quouis tempore absoluere à peccatis venialibus, & à mortalibus aliàs confessis, & directe remissis. Sacerdos tamen non toleratus extra articulum mortis tali iurisditione priuatur, ita vt à dictis peccatis validè absoluere nequeat. Ex quo sufficienter colligitur, eiusmodi potestatem non ei concedi ex iure diuino, sed ex concessione Ecclesiæ; quia aliàs ea validè priuari non posset.

Potest etiam simplex sacerdos, seu aliàs iurisditionem non habens, etsi excommunicatus, & non toleratus, quemuis validè absoluere in articulo mortis, à quibuslibet peccatis, & censuris, saltem si alius habens iurisditionem, vel ordinariam, vel delegatam, desit. Quod autem dicimus de mortis articulo, extendi à plerisque solet ad probabile mortis periculum, vt dum quis bellum aggreditur, vel periculosam nauigationem suscipit: quia hæc in iure pro eodem sumi solent.

Dico, saltem si alius desit, nam si adsit proprius sacerdos, aut alius confessarius approbatus, multi putant moribundum non posse validè absolui à sacerdote non approbato. Quia quòd tali sacerdoti detur tunc iurisdictio, solum fit ratione necessitatis ipsius moribundi, quæ præsentè sacerdote proprio, vel delegato nulla est. Et hæc sententia in tanto discrimi-

ne

ne omnino consulenda, & sequenda videtur. Alii tamen existimant, facultatem absoluedi in mortis articulo, vel periculo, competere simplici sacerdoti, etiam in presentia proprii confessarii. Si quidem Concil. Trid. sess. 4. cap. 7. absolute docet, nullam esse reservationem in articulo mortis, atque adeo omnes sacerdotes posse tunc absolvere quoslibet penitentes à quibusvis peccatis, & censuris.

Ex qua sententia à fortiori intelligitur. 1. posse simplicem sacerdotem constitutum in articulo mortis absolvere, si antequam proprius sacerdos superueniat, illius confessionem audire coepit. 2. si moriens aliquod peccatum mortale inculpabiliter pratermisit, in confessione quam fecit simplici sacerdoti accepta absolutione, talis peccati recorderetur, proponatque istud confiteri, interimque superueniat proprius confessarius, eum adhuc posse eidem simplici sacerdoti eiusmodi peccatum, à quo ante fuerat indirecte abolutus, noua confessione detegere. 3. si ex parte ipsius penitentis, confessio facta simplici sacerdoti fuit inualida, eum posse etiam adueniente proprio confessario, talem defectum eidem sacerdoti declarare, nouamque eorundem peccatorum confessionem apud illum instituire. Quia valde durum est, quòd quis eadem peccata duobus sacerdotibus declarare teneatur.

Respondeo 2. Jurisdictionem posse delegari per confessionem directam, vel indirectam. Priori modo delegatur, quando ordinarius alicui sacerdoti concedit facultatem audiendi confessiones suorum subditorum. Posteriori vero, quando ordinarius tribuit facultatem suo subdito eligendi sibi confessarium, vel tali sacerdoti confitendi.

Nota 1. Etsi generalis facultas alicui data eligendi sibi confessarium, se extendat ad peccata mortalia, à quibus eam concedens absolvere potest, non tamen ad easus, si quos ipse sibi reservauit. Quia iuxta vulgarem regulam iuris in 6. in generali concessione

cessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus, si specialiter rogaretur.

Nota 2. quamvis aliqui putent sufficere, facultatē eligendi confessarium esse petitam, etsi non obtentam; oppositum tamē longē probabilius esse, & omnino in praxi tenendum: maximē si superior aperte declaravit, se nolle eiusmodi facultatem concedere. Imō si nihil respondit, non debet cēseri facultas concessa, nisi quibusdam signis de præsente illius voluntate meritō præsumat. Multo minus sufficit de futuro illius consensu præsumere, vt ex postea dicendis intelligetur.

Nota 3. facultatem prædictam non debere extendi ultra voluntatem concedentis. Vnde si datur tantum ad vnam confessionem, vel ad plures pro determinato tempore, non est vlteriùs extendenda. Si autem datur indefinitè, ea valet ad plures actus, & ad eligendos plures confessarios, modo hunc, modo illum.

Nota 4. habentem facultatem eligendi confessarium, non posse eligere quemcunque sacerdotem, sed tantum aliquem ex approbatis ab Episcopo. Quod si datur facultas eligendi approbatum ab ordinario, potest eligi sacerdos alterius Diœcesis, qui à suo ordinario approbatus sit. Si tamen in confessione præscribatur, vt eligatur approbatus ab ordinario ipsius pœnitentis, huic limitationi standum est.

Nota 5. facultatem eligendi confessarium non expirare morte concedentis, quando simpliciter concessa est: secus quando datur cum limitatione, eam vsque ad mortem concedentis restringente, qualis est illa, *quam diu nobis placuerit*, & similes. Si tamen conceditur cum hac clausula, *donec reuocauero* ea non finitur morte concedentis, nisi ipse antequam moreretur, eam reuocauerit.

Respondet 3. iurisdictionem non delegari per rati-
habitionem de futuro. Quod enim confessionem
apud

apud simplicem sacerdotem factam Pastor approbet, id nullo modo sufficit, vt simplex sacerdos haberet iurisdictionem, quando confessionem actu audiuit. Quare cum confessio facta apud sacerdotem carentem iurisdictione, inualida sit, ea quæ fit simplici sacerdoti nullius est valoris, & repeti debet; etsi proprius sacerdos eam approbet, & ratam habeat, postquam facta est.

Quo loco *aduerte 1.* vt carens iurisdictione aliquem validè absoluat, non satis esse quod superior interiùs consentiat in id quod agit, sed omnino requiri vt consensum internum aliquo signo externo sufficienter declaret. Quia non valet concessio, nisi accepte ur; nec acceptari potest, nisi exteriùs pateat.

Aduerte 2. Quod Pastor videns taceat, seu non contradicat, id non esse indicium sufficiens consensus interni. Potest enim tacere, vel quia putat sacerdotem aliunde habere iurisdictionem, vel quia non audet contradicere, & si interiùs non consentiat. Quare accedere debent alia indicia, vt taciturnitas rationem veræ concessionis habeat.

Respondeo 4. consuetudinem in seculis, vel reclamantibus superioribus introductam, nunquam dare iurisdictionem; eam verò quæ superioribus scientibus, & non contradicentibus obseruatur, iurisdictionem conferre, non quædem ratione sui, sed ratione taciti consensus superiorum, qui prudenter presumi potest, quando non contradicunt, cum facile reclamare possint.

Vnde in locis vbi consuetudo iam diu recepta est, vt sacerdotes saculares eligant sibi in confessarios quos voluerint, siue saculares, siue regulares, si possunt sine scrupulo tali facultate vti. Modo electi ab ipsis habeant Parochiale beneficium, vel ab Episcopo approbati sint, vt patet ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 5.

Religiosi tamen qui habent licentiam sibi eligendi

gendi confessarium, ut in itinere contingit, possunt nunc eligere sacerdotem siue saecularem, siue regularem ab Episcopo non approbatum, sicut poterant ante tempora Concilii Trid. Quia Concilium hac in re, non mutavit ius antiquum, iuxta quod licebat Regularibus confiteri sacerdoti non approbato.

Torrò summus Pontifex habet ex iure diuino, potestatem sibi eligendi confessarium. At Episcopi, alique superiores, minoresque praelati exempti, ea facultate potiuntur ex iure Ecclesiastico, Cardinales verò eadem gaudent ex consuetudine, ex qua etiam habent iurisdictionem ordinariam in suos domesticos, qui proinde ex eorum consensu licitè cuilibet sacerdoti, ad confessiones audiendas approbato, confiteri possunt.

Quæret hic aliquis, an liceat confessiones audire cum iurisdictione dubia. Respondeo per distinctionem, nam quando dubium est propriè dictum, ita ut intellectus inter utramque partem veluti suspensus maneat, sic dubitans non potest licite conferre absolutionem. Quia cum iurdictio sit plane necessaria ad valorem huius sacramenti, eo modo absolvens non magis ex se facit sacramentum validum, quàm nullum, quod sane inordinatum est, & sacrilegum.

Si verò dubium sit improprium, adeo ut sacerdos probabiliter quidem iudicet, se sufficienti iurisdictione præditum esse, cum formidine tamen oppositi, hoc modo dubitans potest licitè sacramentum pœnitentiæ administrare. Quia agens ex ratione probabili, prudenter operatur, & dubium illius magis est speculatiuum, quàm practicum; quod proinde honestatem operationis impedire nequit, ex dictis de conscientia dubia.

Nota 1. eum qui verè dubitat an habeat iurisdictionem, posse pœnitentem absoluerè in casu necessitatis, ut si non possit citra scandalum, vel infamiam communionem omittere, nec adsit sacerdos habens iurisdictionem certam, à quo absolui possit. Verùm

ad

ad cauendum sacrilegium, debet sacerdos dubius conferre absolutionem sub conditione, & monere pœnitentem vt iterum eadem peccata alteri sacerdoti, iurisdictionem certam habenti confiteatur. Debet etiam curare, vt pœnitens aliquod peccatum veniale cum aliis confiteatur; quia cum quilibet sacerdos habeat certam iurisdictionem in peccatum veniale, eo ablato cetera indirectè remittentur.

Nota 2. plerosque Authores, qui quoad iam dicta de dubia iurisdictione nobiscum sentiunt, aliunde absolute asserere in dubio, an casus aliquis sit reseruatus, præsumi posse non esse reseruatum, & posse absolui tanquam non reseruatum. Quia cum reseruatio sit odiosa, ea strictè interpretanda est; ita vt non censeatur casus aliquis reseruatus, nisi certò constet esse reseruatum. Quæ doctrina non satis coherere videtur cum antedictis, eo quòd dubitare an casus aliquis sit reseruatus, perinde est ac dubitare de iurisdictione, circa tale peccatum. Quare si in priori dubio potest absolute dari absolutio, potest & in posteriori, contra iam dicta.

ARTICVLVS IV.

De vsu iurisdictionis non impedito per censuras.

REQVIRITVR 3. in confessario ad valorem absolutionis, vt vsus iurisdictionis in eo non sit impeditus; quia non habere vsus liberum, & expeditum iurisdictionis, id moraliter loquendo perinde est ac iurisdictione carere: quemadmodum non posse gladium è vagina educere, id in morali æstimatione perinde est ac gladio carere. Cæterum vsus iurisdictionis potest tribus modis impediiri. Primò per censuras Ecclesiasticas. Secundò per casuum reseruationem. Tertiò defectu approbationis, de quibus sigillatim breuiter tractandum est.

Circa

Circa primum modum *nota 1.* vsu[m] iurisdictionis iam non impediri per censuras Ecclesiasticas, nisi quis nominatim & publicè sit excommunicatus, aliaue censura innodatus, aut censuram incurrerit ob percussione[m] clerici adeo notoriam, vt nulla tergiversatione celari possit, vel iuris suffragio vero, aut apparente excusari.

Vnde quamuis confessarius alia de causa, quam ob notoriam percussione[m] clerici, sit excommunicatus, aut suspensus, aut interdictus, tibi que confiter eum esse censura innodatum, valet tua confessio apud illum facta, quamdiu per sententiam iudicis nominatim, & publicè non declaratur censura ligatus.

Nec sufficit ad confessionem inuvalidandam, quod ille nominatim, & publicè denunciatus sit hareticus; esto eo ipso quis cognoscatur excommunicatus, quo cognoscitur esse hareticus; sed requiritur vt iudex nominatim declaret, eum incurrisse excommunicationem.

Quòd si excommunicatio publicè lata est in multos sacerdotes, ita vt vnus tantum distinctè, & expresso illius nomine, alii generatim & confusè declarati sint excommunicati, vt eum Episcopus excommunicat Titium, & fautores eius; tunc & si eos omnes cognoscas, in quos excommunicatio lata est, nullum ex eis teneris vitare, præter nominatim excommunicatum, adeoque absolutio ab aliis tibi collata valida est.

Si tamen Confessarius non toleratus, exponitur in loco vbi censura illius ignoratur, valent confessiones ipsi factæ ob errorem communem, & titulum coloratum. Verùm qui sciret eum non esse toleratum, peccaret mortaliter per se loquendo, si ad eum sine necessitate, confitendi causa accederet, adeoque irrita esset illius confessio.

Nota 2. in articulo mortis licitum esse accipere Baptismi, & pœnitentiæ Sacramenta à ministro non tolerato, si alius non adsit, neque ea communicatio
vergat

vergat in damnum alicuius, aut graue scandalum generet. Idem probabiliter dicunt aliqui de viatico, ob magnam interdum illius necessitatem. Imò quando moriens nullum aliud Sacramentum sumere potest præter extremam vnctionem, existimo fas illi esse hanc sumere à ministro non tolerato. Quia fieri potest vt per hoc Sacramentum saluetur, alioqui damnandus, si nimirum sit tantùm attritus.

Loquor de articulo mortis, nam extra talem necessitatem, non licet vllum Sacramentum sumere à ministro non tolerato, si tamē minister excommunicatus est toleratus, licitè possum ab eo Sacramenta petere non modo in articulo mortis, sed etiam aliis quando instat præceptum sumendi aliquod Sacramentum. Imò & extra tempus præcepti, si velim ex speciali deuotione confiteri, vel Eucharistiam sumere. Idque siue minister sit meus Parochus siue non; siue sit paratus Sacramentum conferre, siue non. Quia Ecclesia indulget omnibus, vt inculpate possint communicare in diuinis cum ministris toleratis.

Nota 3. excommunicatum grauitè peccare, & fieri irregularem, si se ipse non requisitus, ingerat administrationi Sacramentorum, non tamen si tantùm ad petitionem meam ea administret. Verùm et si requisitus, tenetur se excusare, si per alium mihi satisfacere potest. Quòd si alius non suppetit, debet dare operam vt absoluat à censura, antequam mihi Sacramentum administret; & si absolutionem obtinere nequit, debet saltem ad contritionem se excitare,

ARTICVLVS V.

*De vsu iurisdictionis non impedito per casuum
reseruationem.*

CIRCA secundum modum quo iurisdictionis vsus impeditur, seu potius limitatur, nempe per casuum
reser-

reseruationem, notanda sunt quæ sequuntur.

In primis dubium non est, quin sit in Ecclesia potestas reseruandi peccata, vt patet ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7 & Can. 11. vnde sequitur Sacerdotem, qui sine legitima authoritate; à peccatis suo superiori reseruatis absolueret, inualidè absolueret, & sacrilegium committeret, defectu iurisdictionis in eiusmodi peccata.

Secundò summus Pontifex potest sibi peccata reseruare in toto orbe, & defacto multa reseruare, de quibus infra in opusculo de censuris. Quamuis autem possit sibi casus reseruare, vel cum censura, vel sine censura, ordinariè tamen nullum sibi reseruare, qui adiunctam censuram non habeat. Potest etiam similiter Episcopus sibi casus reseruare in sua Diocesi, idque aut cum censura, aut sine censura. Quoniam autem, & quomodo reseruentur, constat ex speciali cuiusque loci consuetudine, quæ hac in re à confessoris diligenter consulenda est, quoad loca in quibus ad confessiones audiendas sunt expositi.

Tertiò quando summus Pontifex, vel Episcopus sibi reseruare aliquod peccatum, adiuncta censura, tunc non modo censura manet reseruata, sed etiam peccatum propter quod imponitur. Quo fit vt bona fide confitens aliquod eiusmodi peccatum, Sacerdoti non habenti facultatem absolueri à reseruatis, ab eo non absoluetur, nisi indirectè, adeoque teneatur alias illud confiteri habenti iurisdictionem in reseruata. Verùm quando reseruatio tollitur respectu vnus, ea consequenter censetur auferri respectu alterius, adeoque Sacerdos habens potestatem absolueri à censura, potest absolueri à peccato, cui adiuncta est, & vice versa. Si tamen Episcopus daret alicui facultatem absolueri à censuris sibi reseruatis, posset quidem ille eo ipso absolueri à peccatis reseruatis, quibus tales censuræ adiunctæ sunt; at non ab aliis peccatis reseruatis, quæ censuram annexam non habent.

E

Quartò

Quartò possunt referuari peccata mortalia merè interna, ea tamen referuari non solent. Vnde falsum est quod dicunt aliqui, hæresim purè mentalem referuatam esse summo Pontifici; adeoque potest quilibet Sacerdos approbatus ab ea absoluere. Peccata verò venialia non possunt ita referuari, vt teneatur quis ea confiteri; possunt tamen aliter cadere sub referuationem, ita nimirum vt qui voluerit eorum absolutionem obtinere in Sacramento pœnitentiæ, teneatur pro ea obtinenda adire superiorem referuantem, vel aliam cui commissa sit facultas absoluedi ab eiusmodi peccatis.

Quintò potest directè ab soluere à referuatis, tum qui referuauit, tum illius superior in hoc foro, qualis est Pontifex respectu Episcoporum omnium, non autem Archiepiscopus respectu suffraganei Episcopi, nisi in casu visitationis, vel appellationis; tum ille cui ab habente ordinariam potestatem, delegata est speciatim facultas absoluedi à referuatis. Dico speciatim, nam generalis facultas audiendi confessiones, vel absoluedi à peccatis, non sufficit vt quis à casibus referuatis absoluerè possit, nisi ex circumstantiis aliud probabiliter colligatur. Quia vt patet ex regulis iuris, in 6 in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus, si special. interrogaretur.

Sextò in confessione omnium peccatorum referuatorum, facta habenti potestatem ordinariam ab iis absoluedi, tollitur referuatio, etsi confitens ob propriam indispositionem, ab iis coram Deo non absoluetur. Quia ille censetur satisfecisse fini referuationis, se præsentando superiori, vnde ab iis peccatis postea absolui potest à quocunque Sacerdote approbato. Dubitatur autem, an idem habeat locum in confessione facta habenti tantum iurisdictionem delegatam in referuata; quia etsi superior possit tollere referuationem extra Sacramentum, delegatus tamen non videtur eam posse auferre, nisi per absolutio-

solutionem verè Sacramentalem, qualis non est ea de qua agimus. Verùm cùm delegatus gerat hic vices ordinarij, & alioqui finis reservationis in confessione, etiam apud ipsum facta, seruetur, probabilius videtur per eiusmodi confessionem, et si effectu carentem reservationem tolli.

Septimò ex multorum sententia, qui confitetur peccata sua habenti iurisdictionem, siue ordinariam, siue delegatam in reseruata, per talem confessionem id obtinet, vt si aliqua peccata reseruata inculpabiliter prætermittat, tollatur eorum reseruatio, adeoque possit ab iis absolui à quocunque Sacerdote approbato. Quod nonnulli limitant, modo pœnitens velit omnino exonerare conscientiam suam, & consequenter absolui etiam à reseruatis, si forrè eorum aliquo obstrictus est, & confessarius similiter expresse intendat eum ab eiusmodi peccatis absoluerè. Vnde dicunt, resolutionem allatam non habere locum in confessionibus ordinariis, in quibus nulla cogitatio casuum reseruatorum contingit. Alij tamen hanc limitationem reiciunt, eo quòd confessiones ordinariæ fiunt animo obtinendi absolutionem à peccatis confessis, & aliis si quæ forrè per obliuionem omittuntur: & vicissim confessarius vult pœnitentem absoluerè, iuxta illius intentionem, & quantum ipse validè, & licite potest; esto neuter expresse de peccatis reseruatis cogitet. Quare aiunt, quòd sicut in casu obliuionis inculpabilis, tollitur excommunicatio, per verba illa generalia, quæ absolutioni peccatorum vulgò præmittuntur, *absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, in quantum possum, & indiges*; ita tollitur reseruatio peccatorum oblitorum, per formam illam generalem, *Ego te absoluo à peccatis tuis*. Quia pœnitens quantum in se est, satisfacit fini reservationis se præsentando superiori, cum intentione vel explicita, vel implicita declarandi peccatum reseruatum, si illius recordaretur: Et superior vicissim intendit illud à quibusuis

bus suis peccatis mortalibus, etiam inculpabiliter omissis, liberum dimittere. Quare hoc videtur sufficere ut tollatur reseruatio casuum obliuorū, à quibus proinde quilibet Sacerdos approbatus poterit alius pœnitentem absoluerè, cum in memoriam illius uenerint. Verùm etsi hæc doctrina probabilis sit, quia est multorū, consulerem tamen prædicto pœnitenti, ut si quando casus obliu recordetur, illum confiteatur Sacerdoti habenti iurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam in reseruata.

Octauò quilibet Sacerdos potest in articulo, seu probabili periculo mortis, quemlibet directè absoluerè à quibuslibet peccatis, & censuris. Qui tamen in eo casu aliquem uult absoluerè ab excommunicatione reseruata, prius debet ab eo iuramentum exigere, quòd si conualuerit, se præsentabit superiori reseruanti, vel alteri à quo extratiale periculum poterat absolui, Et absolutus non modo peccat mortaliter, nisi promissis stet, sed etiam in excommunicationem de nouo incidit. Verùm qui tantum à peccatis reseruatis, in articulo mortis, à Sacerdote aliàs carente iurisdictione in illa, fuit absolutus, non tenetur postea etsi conualescat, se sistere superiori reseruanti, vel alteri delegato ad cõfessiones casuum reseruatorum audiendas.

Nonò iter agentes iudicantur iuxta leges loci in quo versantur, unde possunt absolui à casibus in eorum Diœcesi reseruatis, si ibi reseruati non sunt. Contrà uerò si confitentur peccatum eo loco reseruatum, non possunt absolui nisi ab habente potestatem in reseruata, etsi tale peccatum in eorum Diœcesi reseruatum non sit.

Decimò qui ex causa rationabili non uult adire superiorem, ut ab eo à casu reseruato absoluat, potest interponere confessarium, qui licentiam petat absoluendi quemdam suum pœnitentem, ab aliquo casu reseruato; & superior tenetur tunc per se loquendo, talem facultatem concedere. Debet autem confessarius

secularius adeo cautè prædictam licentiam petere, ut superior ne quidem casum ob quem petitur, coniecere valeat, saltem si sit periculum inde coniciendi personam quæ peccauit. Dixi per se loquendo, nam si superior aduertat, occasione dictæ licentiæ sæpius concessæ disciplinam notabiliter laxari, dubiam non est quin eam interdum possit, imò debeat denegare.

ARTICVLVS VI.

De vsu iurisdictionis non impedito, defectu approbationis.

CIRCA tertium modum impediendi vsum iurisdictionis, qui in defectu approbationis consistit, obseruanda sunt verba illa Concilij Trid. sess. 23. cap. 14. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluedi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus nullum etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examinationem si illis videtur esse necessarium, aut alias idoneus indicetur, et approbationem qua gratis detur, obtineat, privilegiis, et consuetudine quatenus, etiam immemorabilibus, non obstantibus.* Ad quorum verborum illustrationem, notanda sunt quæ sequuntur.

Eo ipso quòd alicui datur beneficium Parochiale, ille censetur sufficienter approbatus, ad confessiones suorum subditorum audiendas. Quod intellige, quamdiu retinet tale beneficium, nam si illud dimittat, requiritur approbatio, ex communi sententia. Verùm simplex Sacerdos siue Secularis, siue Regularis, eget approbatione Episcopi, ut licitè, & validè confessiones Secularium, etiam Sacerdotum, excipere possit. Vnde in locis vbi receptum est Concilium Trid. non potest Parochus aliquem simplicem

Sacerdotem, ab Episcopo non approbatum, deputare ad confessiones audiendas in sua Parochia.

Potest tamen Sacerdos non approbatus, audire confessiones Regularium, Vnde superior Monasterij potest exponere Sacerdotem Secularem, ab Episcopo non approbatum, ad excipiendas confessiones suorum inferiorum, si id aliunde non sit prohibitum. Et similiter potest Prouincialis, committere regulari ab Episcopo non approbato, facultatem audiendi confessiones Monialium, ipsius iurisdictioni subditatum.

Vt Episcopus possit approbare confessarios, requiritur iurisdictionio. Vnde qui non habet populum, etsi consecratus sit, & qui, etsi electus, nondum à summo Pontifice confirmatus est, approbare nequit. Nomine autem Episcopi, quoad approbationem confessariorum, venit capitulum, sede vacante, veniunt etiam Abbates qui super aliquem populum, cum iurisdictione Episcopali constituti sunt. Non tamen potest Archiepiscopus dare Sacerdoti facultatem audiendi confessiones in Dioccesibus suorum suffraganeorum Vnde absolutiones virtutis talis facultatis datae, sunt nullae, etsi communis error adfit.

Approbatio ad confessiones audiendas necessaria, danda est ab ordinario confessarii. Quò fit vt Regulares approbari debeant ab Episcopo, in cuius Diocesi habitant. Nec sufficit approbatio petita, si actu obtemperata non sit Id tamen non impedit quin Sacerdos, à suo ordinario non approbatus, transiens per alienam Diocesim, possit approbari ab illius Episcopo, ad audiendas confessiones suorum subditorum, quamdiu ibi moratur.

Imò vt possit Episcopus alieno Sacerdoti, qui à suo ordinario approbatus non est, confiteri, sufficere videtur quòd talis Sacerdos fiat quodammodo illius subditus, vel ratione alicuius officii Ecclesiastici, quod in illius Diocesi exercere teneatur, vel quia intendit

tendit ibi aliquam diu commorari, & multò magis si domicilium suum transferat ad illius Episcopatum. Secus si nullo ex his modis fiat illi subditus. Quare non potest Episcopus transiens per alienam Diocesim, confiteri Sacerdori loci, qui ibi approbatus non sit.

Non potest Episcopus, sine iusta causa, approbationem petenti denegare, nec semel concessam reuocare. Si tamen iniuste eam denegat, aut renocat, à confessionibus audiendis abstinendum est, eo quod Concilium Tridentinum loco citato approbatione ad hoc absolute exigit. Verum si approbatio alicui legitime concessa, non nisi occulte reuocetur. poterit approbatus valide, etsi non licite, confessiones audire; adeoque cognito errore, non erit necesse confessiones apud illum factas, repetere.

Dico, legitime concessa nam si quis absque legitima approbatione, confessarii munus primo exercuisset, error communis non sufficeret, ad validandas absolutiones ab eo datas. Et similiter qui officium Parochi sine legitima auctoritate usurpat, inualide absoluit à peccatis mortalibus, etsi ex errore populi legitimus Pastor existimetur, nisi aliunde sit approbatus ad confessiones audiendas. Si tamen habet titulum coloratum, valent absolutiones ab eo collatae, esto à parte rei verus Parochus non sit, ut si beneficium Parochiale ei inualide collatum sit, ob occultum aliquod impedimentum.

Ex probabili maiorum sententia, absolute approbatus a suo Ordinario, censetur approbatus pro omnibus Ecclesiis: ita ut transiens per alienam Diocesim, possit à Parocho deputari ad confessiones audiendas sine noua approbatione. Quemadmodum habens in vno loco beneficium Parochiale, potest ubique sine noua approbatione, confessiones audire, ut multorum locorum praxis ostendit. Quia tamen agitur de conditione ad valorem Sacramenti necessaria, consultius est sententiam oppositam sequi, maxime

mè in Gallia, vbi prior non videtur esse in vsu. Verùm id non impedit, quin approbatus in vna Diœcesi, possit illius Diœcesis subditum extra illam, sine noua approbatione, Sacramentaliter absoluerè; sicut potest Parochus suum Parochianum, in aliena Parochia.

Habens duo domicilia, in quorum singulis medijs anni parte habitat, potest Parocho alterutrius domicilij confiteri. Conuenientius tamen est, vt pro tempore quo in vno domicilio habitat, adeat Parochus illius loci, pro susceptione Sacramentorum: habentes verò alicubi domicilium & alibi quasi domicilium, seu habitationem satis diuturnam, licet non fixam, vt scolares, litigantes, &c. à Parocho loci in quo pro tempore habitant, Sacramenta sumere debent. At vagi qui nullum habent domicilium, adeoque nec proprium Parochum, possunt, ex multis, cuiuslibet Sacerdoti approbato confiteri. Verùm cur non potius dicatur, eiu modi homines habere pro proprio Parocho, illum qui præst Parochia: in qua pro tempore versantur, & debere ab illo Sacramenta recipere? Hoc sanè rationi, vt & praxi longè congruentius videtur.

Ex sententia communi, & in praxi secuta, qui confitetur in Paschate religioso, ab Episcopo loci approbato ad audiendas confessiones, satisfacit præcepto Ecclesiæ de confessione annua, adeoque non tenetur eadem peccata confiteri proprio Parocho, siue alteri ab illo deputato. Nec potest sine errore sustineri, confessiones secularium factas apud Regulares, ab Ordinario approbatos, inualidas, vel illicitas esse. Verùm, vt non semel monui, debent Regulares ad confessiones audiendas admissi, cautè, & modestè viuis priuilegijs, ne quædam pro charitate fouenda, & amplificanda institutum est, in charitatis perniciem, & interitum vergat.

ARTICVLVS VII.

De quibusdam aliis in confessario praequisi-
tis.

PRÆTER hætenus dicta, requiruntur in confes-
sario scientia, & bonitas, de quibus pauca obser-
uasse sufficiet. Et quidem requiritur scientia, qua
cognoscat quid tam ex parte ipsius, quam ex parte
pœnitentis, necessarium est ad valorem absolutio-
nis. Vnde tenetur scire formam huius Sacramenti; &
proximam illius materiam, quæ est confessio doloro-
sa, integra, habensque alias conditiones, in præce-
denti opusculo memoratas. Item an peccatum sit
mortale, an tantum veniale; quænam sint peccatorum
species, & circumstantiæ, siue mutantur speciem, siue
notabiliter aggrauantes; quænam sint peccata reser-
uata à quibus absolueri nequit: quænam adiunctam
censuram, quænam obligationem restituendi habe-
ant, aliaque eiusmodi. Non tamen est necesse, vt cō-
fessarius ea omnia distinctè percipiat, & in promptu
habeat, sed communiora, & quoad reliqua, sciat du-
bitare, adeoque viros peritiores, aut libros consule-
re. Contra quàm faciunt plerique confessarij, quæ
magno suo damno, & animarum periculo, sine vlla
disquisitione, quidquid in confessione occurrit,
quantumuis intricatum, & difficile, ex tempore re-
soluant, nullumque vnquam pœnitentem sine abso-
lutione dimittunt.

Ex quo colliget, grauiter peccare superiores expo-
nentes subditos, qui carent scientia requisita ad cō-
fessiones debite audiendas; itemque inferiores quæ
tale ministerium sine scientia necessaria exequun-
tur. Potest tamen inferior à peccato excusari, si mu-
tus illud ex obedientia suscipiat, credens in dubio,
superiori indicanti eum ad hoc satis esse idoneum.

Dico, in dubio, nam si inferior propriæ ignorantia conscientis, certò sciat se dignè tale munus obire non posse, superiori præcipienti obtemperare non debet. *Collige 2.* grauitè peccare Parochos, qui ouium suarum curam committunt vicariis rerum prædictatum ignaris; præsertim si eos aliis peritioribus præferunt, quia minori stipendio contenti sunt.

Authores tamen aduertunt, Sacerdotem ignarum confessiones audientem excusari posse, tum ob grauem necessitatem poenitentis, tum quando poenitens illius ignorantiam supplere potest, tum si non audiat nisi personas spirituales, quæ tantum venialiter vt plurimum peccare solent; tum si duntaxat expositus sit ad audiendos rudes & illiteratos homines, in villis aut pagis commorantes, qui non nisi incertas, satisque notas peccatorum species plerumque impingunt.

Quod spectat ad bonitatem, seu probitatem confessarij, quæ in statu gratiæ consistit, ea quidem non est necessaria ad valorem huius Sacramenti, requiritur tamen ad legitimam illius administrationem, ita vt confessarius absoluens in statu peccati mortalis, peccet mortaliter, idque toties quoties. Vnde Sacerdos qui versatur in peccato mortali, antequam se accingat ad confessiones audiendas, debet clicere actum contritionis, aut si tantum sit attritus, Sacramentaliter confiteri.

(*)



CAPVT II.

DE REQUISITIS IN CONFESSARIO,
quando actu confessiones audit.

ARTICVLVS I.

*Nota da Confessario circa confessionem, & dolorem
pœnitentis.*



IN Sacramento pœnitentiæ quatuor con-
siderari debent, nempe confessio, dolor
internus, satisfactio, & absolutio: circa
quæ omnia, & singula Confessarius non
nulla obseruanda habet.

Circa *primum* notandum est, Confessarium curare
debere vt pœnitens integrè confiteatur omnia pec-
cata mortalia quæ patrauit, non tantùm quoad spe-
ciem, sed etiam quoad numerum. Quare quando
probabiliter credit pœnitentem ex negligentia, ali-
quid necessarium ad integritatem confessionis o-
mittere, tenetur eum interrogare circa id quod præ-
termittere existimatur, illumque non præmissa eius-
modi interrogatione absoluens, peccat mortaliter.

Verùm si ex circumstantiis personæ, aut modi quo
fit confessio, verisimile est pœnitentem nihil graue
omittere, confessarius non tenetur eum interrogare.
Quando autem probabiliter credit se ad hoc teneri,
non debet esse nimis scrupulosus in exquirendis
peccatis pœnitentis, sed ea tantùm interrogare de-
bet, quæ probabiliter putat ab eo, spectata illius con-
ditione, patrata esse. Præsertim verò cautè procedere
debet in expendendis peccatis castitati aduersanti-
bus, ne curiosis interrogationibus tentationis, aut
scandali materiam subministret; aut ne simplices
doceat, quæ circa periculolam hanc materiam vili-
ter ignorant, Quan-

Quando confessarius nouit ex alterius relatione, pœnitentem peccatum aliquod perpetrasse, ipse tamen interrogatus negat se illud commississe; nō propterea debet illi absolutionem negare. Quod si confessarius ipse vidit peccatum aliquod mortale à pœnitente committi, quod ille postea reticeret in confessione, tunc si probabiliter iudicare potest, eum alteri confessum esse, debet illum absolueret. Secus, si constet nemini confessum.

Circa *secundum* notandum est, confessarium debere pœnitenti absolutionem negare, quando constat eum non esse legitimè dispositum; sufficienter autem disposito teneri absolutionem confectre, siue sit ordinarius, siue delegatus. Cæterum pœnitens debet esse ritè dispositus, tum respectu temporis præteriti, ita vt graui obligationi satisfecerit; tum respectu præsentis, ita vt verè doleat de peccatis commissis; tum respectu futuri, ita vt firmiter proponat peccata, eorumque occasiones deinceps cauere. Vt autem hæc doctrina illustrior euadat, quædam dubia breuiter hic enodanda sunt.

ARTICVLVS II.

De occasionibus peccatorum.

DVBIVM est i. quomodo se gerere debeat confessarius erga pœnitentem, qui versatur in proxima occasione peccandi. Ad quod responderi potest, supposita duplici distinctione: Nam in primis alia est occasio peccandi remota, alia proxima; remota dicitur, quidquid potest esse causa peccati, vel raro ad illud inducit; qua ratione omnes ferè res mundi dicuntur occasio peccati: proxima verò vocatur illa, qua ad peccatum sæpe pœnitentem inducere solet. Rursus occasio proxima vel est voluntaria, vel non; dicitur voluntaria, si sine graui incommodo dimitti possit; non voluntaria verò, quando dimitti nequit

nequit sine graui damno in vita, in fama, vel in bonis fortuna.

Itaque communis sententia docet 1. eum absoluendum esse, qui versatur in occasione peccandi remota, et si eam dimittere nolit, modo habeat firmum propositum amplius non peccandi. Vnde aliqui colligunt, absolutionem ei denegandam non esse, qui domi retinet ancillam, cum qua ter, aut quater in anno peccat, modo statuatur amplius non peccare. Quia ille non censetur esse in occasione proxima peccati. Imò aliqui hanc indulgentiam extendunt ad eos, qui semel aut bis per mensem cum ancilla peccare solent.

Docet 2. cum absoluendum esse, qui manet in occasione peccandi proxima, si dolorem de præteritis peccatis habeat, firmumque propositum non peccandi in posterum, & simul iustam causam non deturandi talem occasionem. Vnde colligunt aliqui, concubinarium absoluendum esse, si non potest eicere concubinam sine graui scandalo, vel infamia, modo de peccatis præteritis verè doleat, & alia in posterum cum Dei auxilio vitare proponat. Item absolui posse foeminam, quæ domi virum excipit, cum quo sæpe peccat, si non potest honestè eum inde eicere, aut causam aliquam habet eum retinendi.

Docet 3. ei denegandam esse absolutionem, qui nõ vult tollere occasionem proximam, planeque voluntariam peccati, seu qua sine villo graui damno, vel periculo priuari potest. Ille enim cum sponte, & sine vlla rationabili causa, velit versari in proximo peccandi periculo, censetur habere affectum ad peccatum, ad eoque non est capax absolutionis.

In hac tamen extensione sententiæ, nonnulla, vt verum fatear, mihi displicent, et si propositiones ipsæ secundum se veræ videantur. Nam in primis in materia luxuriæ, occasio quæ initio videtur tantum remota, paulatim fit proxima, vt experientia fre-

quentissimè ostendit. Id est, saepe euenit vt qui vno anno tantùm semel, aut bis cum aliqua fœmina peccauerunt, sequenti anno longe pluries cum eadem peccent, si sub eodem tecto maneant. Quare existimo non faciliè dandam absolutionem retinendi ancillam, cum qua aliquoties peccauit. Quia vix credi potest, vò. untariè, ac sine graui causa persistentem in tali occasione, habere firmum propositum non amplius peccandi, quale requiritur ad valorem Sacramenti. Quod maximè habet locum, quando confessarius aduertit, pœnitentem post plures absolutiones, saepe in idem peccatum labi. Vnde à fortiori intelligitur, non esse absoluendum patrem familias, qui semel, aut bis in mense ancilla abutitur, nisi eam quam primum eiiciat: præsertim quia talis occasio respectu illius magis est proxima, quam remota.

Deinde illud mihi parum probabile videtur, quòd propter lucellum aliquod temporale, liceat semper manere in proxima occasione peccandi. Quod enim dicunt aliqui, sic expositum non velle occasionem peccandi, nec peccatum eam consequens, sed commodum suum, non satisfacit, quia quidquid sit de speculatione, certè in praxi, qui ob lucrum aliquod temporale non magni momenti, manet in proxima occasione peccandi, magis vt plurimum talem occasionem diligit, quàm commodum ex ea ortum. Maximè si supersit alia via lucrandi, sine tanto animæ discrimine, vt frequenter contingit. Ex quo fit vt ille absoluendus non sit, qui ob adeo leuem causam, manet in proxima occasione peccandi. Et multo minus si, ne inurbanus videatur, eiusmodi occasionem nolit dimittere,

Imò si confessarius, postquam alia omnia media tentauit, ad continendum pœnitentem in officio, videt eum æquè frequenter labi in peccatū mortale, ob proximam occasionem in qua versatur, debet, vt ego quidem existimo, ei absolutionem negare, donec eiusmodi occasionem, etiam cum graui damno

sent.

temporali, dimiserit. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Qua tamen in re magna opus est prudentia.

ARTICVLVS III.

In quo alia duo dubia expenduntur.

DVBIVM est 2. quid faciet confessarius, sciens pœnitentem versari ignoranter in statu de se malo. Respondeo cum distinctione, nam si pœnitens ex ignorantia culpabili, in tali statu versatur, confessarius debet eum monere, vt quam primum ab eo recedat. Quia cum culpabiliter in eo maneat, absolui nequit, nisi saltem firmiter proponat illum deserere.

Si autem pœnitens, ob ignorantiam inuincibilem à peccato excusatur, manens in eo statu, adhuc distinctione opus est. Nam vel confessarius probabiliter sperat monitionem suam profuturam, vel non, si sperat, tenetur eum monere, antequam absolutionem ei impendat: si verò id non sperat, debet illum in bona fide relinquere, & absolvere. Quia præceptum correctionis fraternæ in ea circumstantia non obligat, & aliunde sufficit quòd confessio sit formaliter integra.

Vnde intelliget confessarius, quomodo se gerere debeat erga coniugatos, qui inuincibiliter ignorantes impedimentum dirimens quo afficiuntur, debitum bona fide mutuo petunt, ac reddunt. Si enim probabiliter iudicat, nullitatem matrimonij non posse sine graui periculo ijs detegi, dissimulare debet. Et consequenter, si quis eorum nolit alteri ex odio debitum reddere, confessarius debet illi negare absolutionem: quia supposita illa ignorantia inuincibili, contra propriam conscientiam peccat in re graui.

Tenetur tamen confessarius pœnitenti veritatem aperire,

aperire, et si nullus inde speretur fructus, tum quando illius ignorantia vergit in damnum commune, ut si esset publica fama, cum eum impedimento dirimente contraxisse; quia bonum commune preferendum est privato tum quando poenitens ab illo quarit, quid de ipsius matrimonio sentiat; si enim diceret esse validum, mentiretur, & poenitentem in re notabili deciperet.

Dubium est, an confessarius teneatur absolvere poenitentem, qui non vult desistere ab aliqua actione, quam ex opinione probabili, putat esse licitam, cum tamen ipse confessarius credat omnino esse illicitam. Responsio communis est, teneri eum absolvere; quia cum sequatur opinionem probabilem, ut supponitur, actio à qua non vult desistere, non est illicita respectu illius: adeoque id non impedit, quin rectè sit dispositus ad recipiendam absolutionem. Tenetur autem confessarius impendere absolutionem poenitenti, ad eam legitime disposito.

Et hoc verum est, siue confessarius teneatur ex officio poenitentem audire, ut Parochus, siue non: licet enim qui non ex officio audit alicuius confessionem, possit eam non audire; si tamen audit, tenetur confitenti rectè dispositio absolutionem largiri.

Quod autem addunt aliqui, talem confessarium, qui non tenetur ex officio confessiones audire, posse denuntiare poenitenti, si hoc iudicauerit expedire, se eius confessionem amplius non auditurum, nisi velit ab ea sententia discedere hoc inquam duriusculum videtur, quia cum poenitens sequendo sententiam probabilem, rectè sit dispositus ad consequendam peccatorum remissionem, ut dictum est, & Authores illi nobiscum sentiunt, quo iure potest confessarius eum in confesum dimittere, propterea quod tali opinioni probabili, & in praxi tutè adhæret? Accedit quod denuntiatio prædicta non multum erit utilis, cum poenitens possit in confessione inculpate reticere actionem, quam scit in tali opinioni probabili.

ARTICVLVS IV.

De impositione pœnitentiæ.

CIRCA tertium quædam obseruanda sunt. *Primo* confessarium teneri vt plurimum, audita confessione, satisfactionem aliquam pœnitenti imponere; cum hæc etsi non sit de essentia Sacramenti pœnitentiæ, ad integritatem tamen illius spectet. Dico, vt plurimum, nam qui post confessionem subito sensibus destituitur, absoluedus est, licet nulla satisfactio ei imponi possit.

Obseruandum 2. ex Concil. Trid. sess. 4. cap. 3. debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutare, & conuenientes satisfactiones iniungere; ne si fortè peccatis conuiueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Ex quibus verbis patet, in pœnitentiâ iniungenda habendam esse rationem, non modo grauitatis peccatorum, sed etiam facultatis pœnitentium. Ita; iuxta varias eorum dispositiones, aliis maiores, aliis minores pœnitentiæ, pro eodem peccato, imponi possunt. Imò cum eodem pœnitente modo mitius, modo rigidius agendum sit, prout illius saluti magis expedire visum fuerit. Cæterum quia ob infirmitatem humanam res eò deuenit, vt paucos repetas qui grauioribus pœnitentiis ipsis iniunctas exequantur, hinc plerumque expedit leuioribus satisfactionibus pœnitentibus imponere, ne pœnarum grauitate terreantur, & à Sacramentorum susceptione auocentur. Maxime cum eorum defectus aliuude suppleri possit, vt ex sequentibus obseruationibus intelligitur.

Obseruandum 3. in satisfactionem imponenda esse opera bona, quæ vocant pœnalia; iis enim satisfit
pro

pro pœna peccatis debita Sunt autem tria præcipua opera ad quæ alia reuocantur, nempe oratio, ieiuniũ, & eleemosyna: sub oratione comprehenduntur nõ modo preces vocales, sed etiam pia desideria, sãcta proposita, meditationes mentales, actus contritionis, gratiarum actiones, opera omnia misericordia spiritualia, &c Sub ieiunio flagellationes, vigilia, peregrinationes, aliaque id genus quæ corpus affligunt sub eleemosyna, non tantum largitio pecunia, sed etiam visitatio infirmorum, aliaque opera misericordia corporalia. Porro quia peccata vel sunt contra Deum, vel contra proximum, vel contra seipsum, congruum est vt quæ sunt primi generis, orationibus castigentur, quæ secundi, eleemosynis, quæ tertij, ieiuniis.

Obseruandum 4. illud omne imponi posse in satisfactionem, quo pœnitens pro suis peccatis per se satisfacere potest, cum virtus ipsa Sacramenti non sit minus efficax quàm opus hominis. Potest autem homo satisfacere pro peccatis suis, non modo aliqua ex dictis operibus pœnalibus sponte exercendo, sed etiam pœnas à Deo immittas patienter ferendo. Tãta est enim Diuinæ munificentia largitas, ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 9. vt non solum pœnis sponte à nobis pro vindicando peccata susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per Christum Iesum satisfacere valeamus. Quare eiusmodi afflictiones, seu potius earum tolerantia, in satisfactionem pro peccatis à confessario imponi potest.

Obseruandum 5. idem posse dici generatim de omnibus bonis operibus, quæ pœnitens facturus est; sicut enim peccatum in communi potest esse materia huius Sacramenti, ita & satisfactio in communi ad illius integritatem sufficere potest. Vnde etsi vt plurimum, debeat confessarius imponere aliquam pœnitentiam.

nitentiam determinatam, & particularem, potest tamen vtiliter etiam iniungere pœnitenti, omnia opera bona quæ facturum est, & omnia mala quæ passurus est, non quidem absolute, & verbis præceptiuis, sed conditionaliter, & deprecatiue, vt indicant verba illa, quæ ex vsu Ecclesiæ absolutioni adiungi solent, *Quicquid boni feceris, aut mali sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum tuorum.* Atque hinc sumitur ratio non spernenda, cur Pœnitentiæ minui possint: quod enim deest de earum grauitate, suppletur per exercitium bonorum operum, & malorum tolerantiam, si hæc in satisfactionem imponantur; quia sic eleuantur quodammodo ad esse Sacramentale, & habent maiorem vim satisfaciendi, quàm si non imponerentur, vt non pauci probabiliter, pieque sentiunt.

Observandum 6. imponi posse in satisfactionem opera aliàs debita, vt audire Missam in die festo, ieiunare in Quadragesima, vel in Feriis Quatuor Temporum, &c. Cum enim eiusmodi opera, etsi ex præcepto Ecclesiæ sint debita, vim ex se habeant satisfaciendi pro pœna in hac, vel in alia vita soluenda; nulla ratio est cur non possint in finem soluendi talem pœnam, à confessario imponi. Licet autem vtiliter imponi possint opera ista aliàs præcepta, vt si confessarius probabiliter existimet, pœnitentem noua hac impositione adigendum ad seruandum aliquod præceptum, quod aliàs prætermisisset: cum tamen nouum grauamen non afferant, raro imponi debent.

Observandum 7. pro peccato occulto non esse imponendam pœnitentiam publicam, ex qua prudenter conijci possit pœnitentem in graue aliquod peccatum imegisse. Sic enim pœnitens sine iusta causa infamaretur. Si tamen peccatum est publicum, omnino expedit ad tollendum scandalum, vt pœnitentia publica imponatur, iuxta statutum Concilij Trid. sess. 24. cap. 3. de Refor. vbi ita statuitur. *Apo-*
sto. 165

Solus monet, publicè peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, sua emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam. Quare si pœnitens renuit pœnitentiam publicam implere, quam confessarius iudicat omninò necessariam ad tollendum scandalum, absolutio ei deneganda est.

Observandum 8. satisfactiones quas confessarij imponunt, debere vsui esse, tum ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, tum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, ut tradit Concilium Trid. sess. 14. cap. 8. vnde opera peccatis contraria in satisfactionem imponi debent: v. e. gulo ieiunia, superbo humiliatione, avaro elemosynæ, &c. Proponi etiam debent considerationes conducentes ad curationem peccatorum, non modo generales sumptæ à beneficiis diuinis, à pœnis æternis, &c. sed etiam speciales, quæ ex pœnitentis confessione iudicantur necessariae ad emendationem illius. Exempli causa, luxurioso expedit proponere mala quæ ex luxuria oriuntur, graues pœnas quas Deus huic vitio deditis aliàs inflixit, aliaque id genus iuxta captum pœnitentis. Quò fit vt confessarius debeat habere ad manum remedia peccatorum, non modo generalia, sed etiam specialia, & pœnitentias speciales, quæ pro singulis peccatis conuenienter imponi possunt. Quorum omnium cognitionem assequi potest, tum librorum ea de re tractantium lectione, tum consuetudine virorum piorum qui regimine animarum diu exercitati sunt, tum affiduis ad Deum precibus, sine cuius speciali auxilio salus animarum promoueri non potest.

Observandum 9. ex communi sententia, liberum esse Sacerdoti pœnitentiam iniungere, siue ante, siue post

post absolutionem; quia vtrouis modo detur, id sufficit ad integritatem Sacramenti: congruentius tamen esse vt eam imponat ante absolutionem, iuxta communem vsu[m], & praxim Ecclesie: eo quod absolutio negari debet pœnitenti, qui sine graui causa pœnitentiam iniunctam renuit acceptare. Item non posse confessarium obligare pœnitentem, vt satisfactionem in vindictam præcedentium peccatorum impositam, exequatur ante absolutionem. Hęc enim satisfactio maximè imponitur, vt pœna temporalis aliàs in purgatorio luenda, compensetur; quæ compensatio fieri nequit, nisi culpa remissa sit, quod fit per absolutionem. Contra verò posse interdum cogere pœnitentem, vt pœnitentiam medicinalem, seu necessariam ad consequendam culpam remissionem, qualis est restitutio bonorum malè acquisitorum, fuga occasionis proxima, &c. ante absolutionem actu adimpleat. Quia non potest confessarius absoluerè pœnitentem, qui non est legitimè dispositus, ad venialem peccatorum per Sacramentum obtinendam: qualis interdum non est ille, qui actu prædicta non præstat, cum possit, vt si semel, aut bis; in confessione promisit alienum restituere, nec tamen restituit, cum commodè possit.

Obseruandum 10. iusta causa intercedente, satisfactionem in Sacramento pœnitentia impositam, mutare, aut mutare posse non modo confessarium qui eam imposuit, sed etiam illius superiorem, & æqualem, imò & ex probabiliore sententia, inferiorem. Siquidem omnes Sacerdotes habentes iurisdictionem in hoc foro, habent æqualem potestatem absoluerendi à peccatis, & satisfactionem imponendi pro illis. Quare sicut pœnitens potest eadem peccata eidem Sacerdoti iterum confiteri; ita potest ea confiteri alteri, siue superiori, siue inferiori, & nouā pœnitentiam pro iis accipere. Et cum non teneatur vtramque implere, ex duabus impositis, potest quam maluerit eligere. Quod si pœnitentia suis imposita

pro

pro reſeruatis, adhuc puto eam ob bonum pœnitentis, poſſe commutari ab inferiori, qui aliàs non habet iuriſdictionem in reſeruata. Quia peccata reſeruata ſemel confeſſa ſuperiori reſeruanti, ampliùs reſeruata non ſunt; quare inferior poteſt eorum confeſſionem audire, nouamque ſatiſfactionem præſenti pœnitentis diſpoſitioni magis accommodatam, pro iis imponere. Caueant tamen Confeſſarii, ne nimis faciles ſe præbeant in commutandis, aut minuendis pœnitentiis ab aliis iniunctis: quia pœnitentes inde occaſionem ſumerent negligendi ſatiſfactiones duriores; quod in graue eorum damnum, huiuſque Sacramenti contemptum cederet.

ARTICVLVS V.

De abſolutione Sacramentali.

CIRCA quartum & vltimum, dubium eſt i. quanam ſit forma Sacramenti Pœnitentiæ. Reſpondeo Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. ita de illa ſtatueret. *Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illius miniſtri verbis poſita eſſe. Ego te abſoluo &c. Qui ſi quidem de Eccleſiæ Sanctæ more, preces quadam laudabiliter adiunguntur: ad ipſius tamen formam eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſaria.*

Ex quibus verbis tria colligi poſſunt, & primò formam huius Sacramenti conſiſtere in verbis illis, *Ego te abſoluo*, aliisque quæ ex vſu communi immediate ſolent addi, nempe, *à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?* Ita tamen vt ſola illa verba, *Ego te abſoluo*, ſint de eſſentia formæ, imò poſſit ſubſiſtere tota eſſentia formæ, in duobus illis verbis, *abſoluo te*, vt alibi ſatis probatum.

Secundò ad eſſentiam abſolutionis requiri verba proprie

proprie dicta, seu ore prolata, hoc enim indicat Cō-
cilium cum ait, formam huius Sacramenti consiste-
re in verbis illis ministri, *Ego te absoluo*, cum proprie
& simpliciter non dicantur verba alicuius, nisi quæ
ab illo prolata sunt. Quo fit ut non valeat absolutio,
si sacerdos eam scripto tradat, esto confessio scripta,
aut signis facta valida sit.

Tertio verbis iam dictis preces quasdam addi ex
p̄a, & laudabili Ecclesiæ consuetudine, quæ non
sunt de essentia formæ, nec ad Sacramenti valorem
spectant. Porro preces illæ his verbis continentur 1.
Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis
perducatur te ad vitam æternam. 2. *Dominus Noster Iesus*
Christus, qui est Summus Pontifex, te absoluat, & ego au-
thoritate ipsius mihi licet indignissimo concessa, absoluo te
in primis ab omni vinculo excommunicationis, suspensio-
nis, & interdicti in quantum possum & indiges: Deinde
ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, &
Filii, & Spiritus Sancti. 3. *Passio Domini Nostri Iesu Chri-*
sti, & merita Beate Mariæ semper Virginis & omnium
Sanctorum, quæquid boni feceris, & mali sustinueris, sit
tibi in remissionem peccatorum, & augmentum gratiæ, &
premium vitæ æternæ Amen.

Circa quas orationes nota I. Sacerdotem solere,
quamdiu secundam ex illis orationibus recitat, ele-
uare manum dexteram supra caput pœnitentis;
Quod etsi non sit de necessitate seruandum, ex con-
gruentia tamen seruari debet, vbi talis viget con-
suetudo. Multo minus est necessarium, manum ca-
piti pœnitentis imponere quamdiu profertur ab-
olutio, quin potius valde expedit, ab eiusmodi
impositione abstinere, quando absoluuntur fœmi-
næ.

Nota 2. tertiam orationem, quæ in confessionibus
ordinariis plerumque præmittitur, non esse o-
mittendam quando fit confessio grauium peccato-
rum, & pœnitentia non satis proportionata pro illis
imponitur. Quia virtute illius, quod deest de graui-
tate

tate

rate pœnitentiæ aliquo modo suppletur, vt suprà diximus.

Dubium est 2. qua intentione absolutio Sacramentalis proferri debeat. *Respondeo 1.* vt valeat hoc Sacramentum, non sufficere quòd Sacerdos auditis peccatis, intendat verba absolutionis exterius proferre, sed requiri vt ea proferat animo Sacramentaliter absoluedi pœnitentem, iuxta intentionem Christi, & Ecclesiæ. Quam intentionem sufficienter habere censetur, eo ipso quòd tanquam Ecclesiæ minister, vult pœnitentem absoluere, etsi hanc actum formalem intra se non eliciat, intendendo facere, quod facit Ecclesiæ: aliàs certe dicendum esset, innumeras absolutiones inualidè, & sine effectu conferri.

Respondeo 2. ad valorem absolutionis non requiritur, vt dicta intentio actu habeatur, quando sacerdos verba profert. Cùm enim non sit in potestate sacerdotis, habere actualem intentionem, vel attentionem quando absoluit; verisimile non est eam esse necessariam ad valorem absolutionis. Vnde omnium consensu absolutio valet, & si minister sit distractus, quamdiu eam profert.

Respondeo 3. non sufficere ad valorem absolutionis, intentionem mere habitualement, quæ haberi censetur, quando actualis quidem præcessit, nec est retractata, nò tamen siue per se, siue per aliquid sui inluit in effectum. Sic enim absolutio ei nullo modo tribui potest, seu in eam referri.

Respondeo 4. habendam esse vt minimum intentionem, quam virtualem vocant; ita scilicet vt si Sacerdos proferendo verba absolutionis, actu non intendit ad id quod agitur, habuerit tamen paulo ante actualem intentionem administrandi hoc Sacramentum, & virtute talis intentionis, in aliquo suo effectu perseverantis, absolutionem proferat.

Respondeo 5. ad valorem absolutionis requiritur, vt intentio eam proferentis versetur circa personam presentem. Error tamen substantialis personæ non irri-

at hoc Sacramentum, quod proinde valebit, si Sacerdos absoluat Petrum, putans se Paulum absolueret. Quod intellige, modo intendat absolueret personam quam præsentem habet; nam si non intendat absolueret Petrum, sed Paulum duntaxat, nulla est absolutio.

Nota 1. grauius, per se loquendo, peccare Sacerdotem, qui defectu intentionis, aut formæ essentialis, ad valorem huius Sacramenti necessariæ, inualide absolutionem profert.

Nota 2. ad valorem absolutionis sufficere, quod Sacerdos habeat intentionem legitimam, quamdiu profert illa verba, *Ego te absoluo*, eum tamen peccare, qui dum reliqua profert, debita intentione caret.

Nota 3. non esse inualidam absolutionem, si sub illis verbis tradatur, *Ego tibi remitto peccata tua*; quia hæc forma quoad sensum cum a'ia coincidit: eum tamen peccare qui ita absoluit, quia in Sacramenti administratione, ritum ab Ecclesia institutum non seruat.

Dubium est 3. an absolutio dari possit sub conditione. *Respondeo 1.* valere absolutionem prolatam sub conditione de præterito, quando vera est conditio. Quia posita conditione, intentio conditionata transit in absolutam. Hinc dubitans an aliquem absoluerit, potest eum absolueret hoc modo, *Si non te absolui, ego te absoluo &c.* Sufficit tamen quod verba illa conditionata, *si non te absoluo*, mente proferat.

Respondeo 2. valere similiter absolutionem datam sub conditione de præsentem, si conditio illa existat. Ut si Confessarius audita confessione pueri, de quo dubitat an ysu rationis potiatur, dicat, *Ego te absoluo, si ysu rationis præditus es.* Aut si cum dubitat, an quæ proponuntur à pœnitente, sint peccata venialia, dicat, *Ego te absoluo, si facta quæ proponis, saltem aliqua sunt peccata.* In hoc tamen posteriori casu magis forte expedit prudenter curare, ut pœnitens dicat certum aliquod peccatum aliàs confessum, aut eum si-

ne absolutione dimittere, quam illi sub tali conditione absolutionem imponere. Unde


Nota absolutionem non nisi rarissime, & iusta causa intercedente, sub conditione de presenti, aut praeterito impendendam esse. Quare & si stante veritate conditionis appositae, valeat absolutio, quando Sacerdos dicit, *Ego te absoluo si restitueris, si verum habes propositum satisfaciendi, &c.* Ita tamen absolvens peccat, quia cum teneatur fidem habere poenitenti, aliquid de se in hoc foro affirmanti, sine causa legitima facit Sacramentum dubium, datque tantum sub conditione, quod iuxta institutionem Christi, & praxim Ecclesiae absolute dari debuit.

Respondeo 3. inuvalidam esse absolutionem, datam sub conditione de futuro, ut si Sacerdos dicat *Absoluo te, si tali die ieiunaueris.* Quia positae materiae & formae, non est in potestate Confessarii suspendere effectum Sacramenti, usque ad positionem conditionis.

Ex quo intelligi potest 1. quando Superior dat alicui Sacerdoti facultatem absoluendi à casibus referuatis, sub conditione talis poenitentiae adimplendae, Sacerdotem cui eiusmodi facultas demandata est, non posse absolutionem à tali conditione pendente, concedere, sed debere habenti casus referuatos, poenitentiam assignatam iniungere, eamque acceptantem absolute absoluere, recusantem vero

in absolutionem dimittere. Intelligi potest 2. non valere absolutum datam sub rati habitatione de futuro, si superior consentiat, ut alibi probatum est.

(*)



CAPVT III.
DE REQUISITIS IN
Confessario, post auditam Confessionem.

ARTICVLVS I.

De Sigillo Confessionis.



VBIVM est: quid sentiendum sit de obligatione seruandi sigillum, seu secretum confessionis. Respondeo tantam esse obligationem seruandi sigillum Sacramentale, (seu non reuelandi audita in confessione) vt in nullo vnquam casu siue directe, siue indirecte illud, sine consensu formali, & expressio poenitentis frangere liceat. Ita omnes Theologi communiter, quorum mens vt melius percipiatur.

Nota 1. non cadere sub sigillum Sacramentale, nisi quod ex Sacramentali confessione cognitum est, & quatenus per eam cognitum est. Vnde qui nouit aliquid, etiam alia via quam per confessionem, a qua potest id reuelare, ac si per confessionem illius notitiam non haberet. Ex quo infertur, Paphum posse repellere à communione, eum quem extra confessionem, & per confessionem nouit esse publicum concubinarium; modo ad id non utatur scientia per confessionem habita.

Nota 2. sub sigillum Sacramentale cadere, tum omnia peccata mortalia, tam in genere, quam in specie, tum omnia peccata venialia in specie, tum ea quae ad explicationem peccatorum adducuntur, & si non sint peccata. Vnde frangit sigillum qui dicit, Petrum sibi confessum esse homicidium, aut peccatum aliquod mortale, in genere. Item qui dicit, Petrum sibi confessum esse leue mendacium, non autem si dicat tantum, sibi venialia confessum esse.

F 2

Item

Item qui dicit, Petrum esse spurium, vel pauperem, si id non nouit nisi ex confessione Petri, & ipse Petrus id declarauit ad manifestandum aliquod peccatum. Si tamen horum aliquid ex alia occasione detegitur in confessione id non obligat ad sigillum Sacramentale, & si ad secretum naturale, iuxta rei grauitatem, obligare possit.

Nota 3. & si ex communi sententia, non frangat sigillum qui dicit, ego in confessione audiui tale peccatum mortale, modo audientes non possint venire in notitiam illius, qui eiusmodi peccatum confessus est; non tamen vacare periculo, de auditis in confessione, sine necessitate sermonem habere, maxime coram secularibus, qui facile inducuntur vt credat, eiusmodi sermocinationibus eorum peccato periculo euulgationis exponi; sicque non sine causa à confessione retrahuntur. Quare nullo modo ferendi sunt verbosi illi confessarii, qui passim quæcunque per confessiones didicerunt effutiunt; nam & si peccatores non nominent, interdum tamen ex circumstantiis intelligi potest, quinam illi sint, quorum peccata incautè produnt.

Nota 4. ad sigillum Sacramentale teneri tum Sacerdotem, qui excepit confessionem, tum eos qui casu, aut ex necessitate, aut ex malitia audiunt aliquod peccatum, quod in confessione declaratur. Quia talis cognitio, cum ex Sacramenti confessione habeatur, ad sigillum obligat. Vnde quando in naufragio aliquis alta voce peccata sua confitetur Sacerdoti, alii omnes qui peccata eius audiunt, tenentur ad sigillum Sacramentale: ita vt neque cum Sacerdote, neque inter se de iis colloqui possint. Et similiter quando quis per interpretem confitetur peccata sua, ipse interpret tenetur ex communi sententia, sigillum seruare; eo quod pœnitens ei peccata sua non manifestat, nisi in ordine ad absolutionem Sacramentalem.

Nota 5. obligationem sigilli Sacramentalis transire etiam

etiam ad eum, cui confessarius ex malitia, vel imprudentia alicuius confessionem reuelat: quia cognitio quam comparat de peccatis illius, ex ipsa confessione, saltem mediatè, oritur. Si tamen reuelatio illa fiat ex consensu pœnitentis, consilii petendi causa, quidam dicunt ex ea non oriri obligationem sigilli Sacramentalis, sed tantùm secreti naturalis. Verùm oppositum, cum communi sententia, tenendum est: quia licentia pœnitentis non dat confessario nouã cognitionem peccatorum ipsius extra cõfessionem, sed tantùm facultatem extendendi ad aliam personam, consilii capiendi causa, eandem notitiã quam per confessionem habuit. Quare hæc cum suo onere transit ad consiliarium.

Nota 6. consiliarium contrahere obligationem sigilli, quando ab ipso pœnitente quoad dubia aliqua consulitur, in ordine ad confessionem illi postea faciendam. Iam enim talis manifestatio videtur inchoatiue spectare ad confessionem ipsam, ad que sub idem sigillum cadit. At si consulatur in ordine ad confessionem alteri faciendam, quidam putant peccatum ea occasione ei reuelatum, non cadere sub sigillum Sacramentale. Quia non cognoscitur ex confessione, nec per confessionem, sed ante illam. Oppositum tamen magis aliis placet, quia non minus in hoc, quam in præcedenti casu manifestatio peccatorum fit in ordine ad confessionem; & qui consulitur gerit quodammodo vicem confessarii, dirigendo pœnitentem ad dignam susceptionem Sacramenti, & eatenus participando vsum clauis scientiæ.

Nota 7. pœnitentes non teneri sub sigillo Sacramentali seruare peccata, quæ in confessione manifestarunt; quia quòd ipsimet sua peccata reuelent, confessio inde odiosa iis reddi non potest. Licet autè quæ iis à confessario dicuntur, sub secreto naturali interdum, pro rei grauitate, seruare debeant, non tamen sub sigillo Sacramentali; cùm huius obliga-

tio soli confessioni peccatorum, adeoque in gratia solius pœnitentis, ne illius peccata detegantur, ex communi Ecclesiæ sensu adiuncta sit.

Nota 8. fas esse pœnitenti agere cum suo Confessario, de confessione præterita, non petita eius licentia. Cùm tamen vice versa non liceat confessario loqui cum pœnitente, de auditis in præterita confessione, sine expressa illius licentia. Licet enim secretum tunc propriè non violetur, quia pœnitens id novit de quo agitur, violatur tamen sigillum Sacramentale, quatenus per hoc inducitur gravis obligatio non loquendi alteri de re audita in confessione, siue rem eam ignoret, siue non. Cæterum pœnitens eo ipso quod cum confessario loquitur de rebus confessis, censetur illi dare facultatem expressam de iis similiter cum eo agendi, adeo ut non teneatur confessarius tunc novam, & distinctam licentiam, cum eo de præterita confessione loquendi, petere. Verùm caueat confessarius ne limites concessæ licentiæ excedat, non enim potest loqui cum pœnitente, nisi de iis peccatis confessis quæ ipse pœnitens illi proponit. Vnde si de aliis loquendum iudicat, licentiam obtinere debet.

ARTICVLVS II.

De vsu notitiæ per confessionem acquisitæ.

DVBIVM est 2. an vti liceat, sine licentia pœnitentis, notitia confessionis ad directionem actuum exteriorum, modo id fiat sine reuelatione directa, vel indirecta sigilli Sacramentalis. *Respondes 1.* negari non posse, quin aliquis vsus notitiæ per confessionem partæ, licitus sit. Quis enim eos confessarios damnet, qui ex confessionibus auditis occasionem sumunt doctos consulendi, vel libros de casibus conscientia accuratius euoluendi, ut hac via doctiores euadant, & ad regendas animas aptiores? Quis vitio vertat confessario, quod per confessiones addiscens, quibus

quibus artibus homines in peccata pertrahantur; ipso alieno periculo cautior fiat? Certè tantum abest ut talis vltus vituperandus sit, quin potius ab omnibus confessariis omnino amplectendus videtur, modo absit periculum, ut dixi, violationis sigilli. Quia ex vna parte non est iniuriosus pœnitenti, & ex alia non parum utilis est confessario.

Respondeo 2. non videri illicitum vti notitia confessionis, ad faciendum aliquid, vnde adstantes conuinciant, pœnitentem confessum esse crimen aliquod, cuius ipsi conscij sunt, dummodo alij rei ignari, tale quid ex eo facto suspicari non possint. Probat, nam quando v. c. audio confessionem concubinarij, ei-que Eucharistiam ministro pœnitente concubina, hæc merito ex meo facto suspicari potest, concubinarium mihi declarasse peccata omnia, quibus no-uit eum contritum esse. Nemo autem hætenus dixit, nefas esse audire confessionem pœnitentis, ei-que Eucharistiam administrare, coram conscio criminum illius, aut sigillum sacramentale eo facto violari. Quod si confessionis, & Eucharistiæ sacramenta in iis circumstantiis licite administrantur, cur non similiter fiet licite aliquid aliud, ex quo soli criminis conscij suspicari possint, me illius notitiam ex confessione accepisse?

Hinc quando aliqui in necem Sacerdotis conspirarunt, si ille ex vnius confessione talis conspirationis certior fiat, multi Authores existimant, eum licite posse fugere, & si criminis socij ea fuga in suspicionem venturi sint, cõiurationem ei in confessione fuisse detectam; modo alij rei ignari, tale quid inde conicere nequeant.

Respondeo 3. ex statuto Clementis VIII. prohibitum esse tam Superioribus Regularium pro tempore existentibus, quàm confessariis qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Vnde collige, nefas esse Superiori aliquem amouere ab officio, vel ad alium locum transferre, vel ei Eucharistiam denezare, aut simile quid facere, ob peccatum in confessione auditum; & si nulla prater pœnitentem suspicari possit, id ea de causa fieri. Quia non modo illicitum est verbis, aut factis peccata in confessione audita aliis reuelare, sed etiam ipsi pœnitenti extra confessionem tacite exprobrare, quod in dictis casibus fieret; cum hoc modo confessio valde onerosa, & exosa reddatur. Imo hinc merito inferiores occasiones sumerent, grauiora peccata reticendi in confessione, si scirent se propter illa posse extra confessionem officio priuari, aliudve damnum incurrere.

Collige 2. non licere Superiori vti scientia per confessionem habita, ad impediendum ne inferior peccatum aliquod perpetret, & si ille solus intelligat, id fieri ob peccatum in confessione declaratum, neque inde aliud damnum ipsi obueniat. Vt si superior sciens ex confessione, aliquem nocturne Monasterio egredi, curet maros arcolli, aliquo castro colore: quia v. c. fusibus hinc facile aditus patere potest. Cum enim pœnitens intelligat, vt supponimus, id ipsius causa fieri, negari non potest quin simul iudicet sibi eo facto peccatum confessum tacite exprobrari, meritoque suspicetur superiorem alias hoc casu tulerit, cum maiori ipsius grauamine, vt ad eum priuandum officio, notitia confessione parta vsurum. Quare cum talis suspicio satis rationalis videatur, meritoque pœnitentes a confessione auocare possit, conseqvens est Superiorem notitia confessionis, ad dictum effectum vti non debere, nec inculpate posse. Maxime cum id menti Clementis, & reuerentiæ Sacramento debita magis consentaneum videatur. Poterit tamen Superior petere facultatem a pœnitente, vt vti scientia confessionis ipsius, ad talem effectum, si id necessarium iudicet ad emendationem illius. Quam si dare nolit, sine

ab. o.

absolutione dimittendus erit, utpote ad illam malè dispositus.

Nota quod diximus de superioribus Regularibus, ad seculares æquè extendendum esse, cum Clemens VIII, prædicto statuto, non tam nouum aliquod ius posituum constituar, quàm quid ex ipso iure naturali, & diuino, posita institutione Sacramenti pœnitentiæ, sequatur, declaret. Vnde Parochus tenetur dare Eucharistiam petenti, & si ex confessione sciat eum ad eam recipiendam malè dispositum esse, tenetur assistere illius matrimonio, quem via confessionis nouit occulto laborare impedimento, &c.

ARTICVLVS III.

De defectu in audienda confessione commisso.

Ubi est 1. quomodo se geret confessarius, qui post confessionem aduertit se grauem aliquem defectum in ea commisisse. Ad hoc breuiter respondeo per sequentia.

In primis confessarius post datam absolutionem, aduertens se aliquem à censuris inualidè absoluisse, debet petere facultatem ab iis absoluedi, ac deinde absentem absoluere. Hæc enim absolutio in eo distinguitur à Sacramentali, quod nec præsentiam subiecti, nec dolorem necessariò in eo exigit.

Deinde si confessarius aliquem à casibus reseruat, defectu potestatis inualidè absoluit, non potest obtenta facultate eum absentem absoluere, cum absolutio absenti collata inualida sit, ex dictis præcedenti opusculo; sed debet, si commode potest, ab eo facultatem petere, ut cum ipso de præterita confessione loqui possit, eaque obtenta illum de commisso errore monere.


Rursus si confessarius sufficienti iurisdictione præditus, inaduertenter pœnitentem sine absolutione peccati mortalis dimisit, & statim talem defectum

Es

aduer-

aduertit, quamdiu pœnitens non longè ab eo distans, genibus flexis orat, quidam dicunt sic distanti abolutionem posse impendi, quia voluntas habitualis obtinendi absolutionem adhuc in eo perseverat. Non tamen dubito quin tutius sit pœnitentem tunc vel aduocare, vel adire, ei que absolutionem impedere.

Præterea non tenetur confessarius per se restituere, quando pœnitentem non monuit vt restitueret, cum ex officio confessarii non teneatur procurare bonum creditoris, sed salutem pœnitentis promouere. Imò & si confessarius bona fide dixerit, non esse restituendum, nec possit pœnitentem monere, restituere non tenetur. Si tamen ex culpa lata, vel ex ignorantia crassa monuit restituendum non esse, tenetur restituere, nisi opportunè moneat pœnitentem vt restituat. Quia sic ex graui culpa, est causa damni creditori illati.



OPVSCVLVM III.

DE CENSVRIS ECCLESIE.

CAPVT I.

DE CENSVRIS IN GENERE.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit censura, & à quo infligi possit.



DVBIVM est: quid sit censura. Respondeo censuram hoc vel simili modo posse describi. Censura est poena spiritualis per quam delinquens quorundam spiritualium bonorum vsu priuatur. Quod vt clarius intelligas.

Nota 2.

Nota 1. Censuram dici pœnam spirituale[m] vt distinguitur à pœnis corporis, quæ interdum, à potestate Ecclesiastica infliguntur, vt sunt ieiunium, incarceration, &c.

Nota 2. per censuram non priuari hominem bonis spiritualibus internis, cuiusmodi sunt gratia, virtutes, & merita; his enim nemo inuitus priuari potest, sed tantum bonis externis communibus, qualia sũt auditio Missæ, participatio Sacramentorum, &c. Quamuis autem censura priuet interdum vsu corporaliũ, id non fit nisi per ordinem ad spirituale bonum illius, cui talis pœna infligitur, vt nimirum confusus ad mentem redeat; vel etiam aliorum, ne ex illius consortio inficiatur.

Nota 3. censuram vt priuat tantum vsu bonorum spiritualium, distingui ab irregularitate, depositione, & degradatione; quia hæc quantum in se est, ipsam potestatem spiritualement homini simpliciter, & irrevocabiliter adimunt: adeoque non tolluntur nisi per dispensationem seu relaxationem legis, vel sententiæ simpliciter, seu irrevocabiliter latæ. Cùm tamen censura, quia est pœna medicinalis; per modum vinculi facile solubilis, tollatur per absolutionem posita resipiscentia Rei, quam maximè intendit.

Nota 4. censuram infligi tantum per Ecclesiasticam potestatem, seu per superiores Ecclesiasticos, habentes iurisdictionem spiritualement in foro externo. Quò fit vt nec iudices seculares censuras ferre possint, nec priuatio sacrorum, quæ interdum imponitur in Sacramento pœnitentiæ, sit censura.

Dubium est 2. quotuplex sit censura. *Respondeo 1.* Tres esse tantum censuras propriè dictas, nempe excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Quæ diuisio maximè sumitur ex iure canonico, & ex cõmuni Theologorum consensu. Additur autem à nonnullis congruentia non spernenda, sumpta ex triplici modo quo quis vsu sacrorum priuari potest:

nam vel censura priuat omnibus fere bonis exter-
nis, tam actiue, quam passiue: vel tantum aliqua co-
rum parte, idque aut actiue duntaxat, aut etiam pas-
siue. Si primo modo, est excommunicatio; si secun-
do est suspensio: si tertio, est interdictum, vt ex eo-
rum effectibus clarius intelligetur.

Respondeo 2. censuram rursus diuidi, vt alia sit à iu-
re, alia ab homine. Censura à iure dicitur, quæ fertur
à legislatore aliquod statutum perpetuum conden-
te. Censura verò ab homine, quæ fertur à Superiore
præceptum aliquod transitorium imponente.

Quo loco aduerte, inter has censuras illud esse dif-
ferentiam, quod prior manet quamdiu statutum non
reuocatur, etsi illius conditor mortuus sit, aut iuris-
dictionem amiserit. Posterior verò non habet vim,
nisi quamdiu durat conditoris iurisdictio, vtraque
tamen semel incurta manet, donec relaxetur.

Respondeo 3. aliter diuidi censuram, vt vna sit lata
sententiæ, alia ferendæ. Prior est quæ ipso facto in-
curritur: posterior, quæ non nisi post sententiæ iudi-
cis. Quænam autem censura sit lata, quænam feren-
dæ sententiæ, ex sequenti regula intelligi poterit.

Quando in lege dicitur, si quis id fecerit, excom-
municatur, vel, est excommunicatus: vel, sit excom-
municatus: vel, subiaceat excommunicationi: vel,
declaro eum esse excommunicatum; vel quid simi-
le, est excommunicatio lata sententiæ. Et similiter
quando additur aliqua particula denotans censu-
ram eo ipso incurri, vt & quando dicitur, Anathema
sit.

Est autem excommunicatio sententiæ ferendæ,
quando dicitur, incurrat excommunicationem, vel
præcipimus sub pœna excommunicationis, vel iu-
bemus vt excommunicetur: vel prohibemus sub in-
terminatione excommunicationis. Idemque à pari
de aliis censuris dici debet.

Quòd si ex terminis legis probe nequeat intelligi,
an censura sit lata, an ferendæ sententiæ, resque
sub

sub dubio maneat, praesumendum erit esse tantum
sententia ferenda: cum ex vulgari regula iuris, fau-
res sint ampliandi, & odia restringenda.

Dubium est 3. quinam possint ferre censuras. Re-
spondeo 1. eos omnes qui habent iurisdictionem Ec-
clesiasticam in foro externo, posse per se loquendo
ferre censuras. Talis siquidem potestas, cum valde
necessaria sit ad rectum Ecclesiae regimen, iis omni-
bus competere debet.

Vnde summus Pontifex habet potestatem ordina-
tiam ferendi censuras in toto orbe, respectu Christi-
anorum. Item legatus à latere potest ferre censuras in
tota prouincia, ad quam mittitur. Et Episcopus in
sua diocesi, per ordinem ad suos subditos: qua eti-
am potestate gaudet vicarius illius Generalis. At
simplex Parochus, cum non habeat iurisdictionem in
foro externo, censuras propria autoritate ferre ne-
quit; nisi eam autoritatem per legitimam consuetu-
dinem obtinuerit.

Nota, cum censeatur eadem Episcopi, & Vicarii ge-
neralis iurisdictione, sicut & idem vtriusque Tribunal,
adeo vt appellatio non valeat à sententia vicarii ad
Episcopum; hinc fit vt quando suspenditur, vel ex-
tinguitur iurisdictione Episcopi, etiam Vicarii genera-
lis illius iurisdictione suspendatur, vel extinguatur.
Quare tunc ferre censuras ad Capitulum, & ad illius
Vicarium spectat.

Respondeo 2. foeminas non posse ex iure communi
ferre censuras, quia talis potestas non solet concedi
nisi clericis. An autem absolute sint capaces illius,
in dubium verti potest; qua in re sententia commu-
nior tria statuit: 1. non posse Praelatum summo Pon-
tifici inferiorem, potestatem ferendi censuras foe-
minae, sicut nec viro laico committere, quia id re-
pugnat iuri communi. 2. Pontificem Romanum id
posse, quia quod foemina nequeat ferre censuras, id
non repugnat iuri naturali, aut diuino, sed tantum
iuri communi Ecclesiastico, in quo Papa dispensare
potest.

potest : præsertim quia cum Abbatisse beneficia conferant, quæ sunt aliquid spirituale, dici non potest eas esse omnino incapaces iurisdictionis spiritualis. Tertio nunquam tamen de facto alicui feminæ potestatem ferendi censuras à sede Apostolica concessam fuisse, neque expedire ut concedatur.

Respondeo 3. eos qui habent potestatem ordinariam ferendi censuras, posse talem potestatem alteri delegare sicut autem à potestate ordinaria ferendi censuras, excluduntur laici, ita & à delegata: imò & clerici qui sunt coniugati, aut bigami. Quare ij non possunt Vicarij generales ab Episcopis iuritati.

Vbi nota delegatum ab Episcopo, aliove inferiori ad censuras ferendas, non posse ad hoc alterum subdelegare, sine speciali facultate delegantis. Legatus tamen à latere summi Pontificis potest id munus alicui delegare in sua prouincia.

ARTICVLVS II.

In quos censura ferri possit, & quæ de causa.

DVBIVM est i. quatenus censura affici possint. *Respondeo 1.* ut quis censura directe afficiatur, eum debere esse viuentem, cum Christus dederit Apostolis potestatem ligandi, & soluendi super terram, non sub terra, ut loquuntur summi Pontifices, id est, viuos, non mortuos.

Dico directe, nam Ecclesia prohibere potest, ne viuentes pro mortuo peccatore suffragia faciant, neue illius corpus donent sepultura, & eatenus eum indirecte excommunicare: sicut potest è contrà viuis concedere facultatem sepeliendi mortuum, & suffragia pro eo ferendi, sicque eum aliquatenus à censura absolueret vel absolutum declarare.

Ex quo intelligis, si Caius mandauit Titio ut clericum occideret, & Ticius mandatum non expleuit

nisi post Caii mortem; Caium non incurrere excommunicationem, ob mortem clericus.

Respondeo 2. neminem posse directè affici censura, quin sit baptisatus, quia aliàs non est subditus Ecclesie: at censura non potest valde ferri nisi in subditum. Neque baptisatus qui non est doli capax, cum censura non feratur nisi ob peccatum. Imò etsi impubes habens rationis usum, possit valde censuris ligari, non tamen licet eum maiori excommunicatione afficere, quia eiusmodi pœna nimis grauis est, vt ea quis in tam tenera aetate plecti debeat. Verùm interdictum latum in communitatem aliquam etiam ab impuberibus seruari debet.

Non tamen requiritur actualis vsus rationis, vt quis censuram incurrat. Vnde si dum dormit Caius, ex illius mandato occiditur clericus, somnus non impepit quin Caius excommunicationem incurret. Idem die si Caius, antequam perficeretur illius mandatum, in amentiam incidit; tunc enim ob præcedens peccatum, excommunicatione à iure lata ligatus censetur.

Verùm si Caius committit peccatum, sub pœna censuræ ferendæ, prohibitum, tuncque antequam resipiscat, in amentiam incidit, etsi in eo casu possit valde à iudice excommunicari, non tamen æquum est vt excommunicetur, cum talis censura neque ipsi neque aliis sit profutura. Maximè si nulla habeat lucida interualla, & amentia medicorum iudicio credatur perpetua, aut valde diuturna. Quin potius valde rationi consentaneum est, vt in costatu absoluat, à censura, si quam antea incurrit.

Respondeo 3. etsi censura suspensionis, & interdicti ferri possit in communitatem, non tamen excommunicationem quæ longè grauior est pœna, in eam ferri posse: quia non decet innocentes cum nocentibus ea ligari. Quare si aliquando fertur excommunicatio in communitatem, ea non cadit nisi supra singulares illius personas, quæ criminis ob quod
ferretur,

fertur, sunt participes. Adeoque innocentes non incurrunt irregularitatem, si sacrum faciant; imo nec peccant, si absit scandalum.

Respondeo 4. Episcopos ligari excommunicatione generaliter lata à summo Pontifice, nisi illorum fiat exceptio. Non tamen ligantur censura suspensionis, vel interdicti ab eo generaliter lata, nisi expressè illorum mentio fiat, quia quo ad hæc à iure excipiuntur, Et idem dic de Prælatiis superioribus.

Dubium est 2. ob quam causam censura ferri possit. *Respondeo* censuram non posse infligi nisi ob peccatum, & si ea sit gravis, ad eam infligendam requiri peccatum mortale. Vnde non valet maior excommunicatio, vel gravis suspensio, vel graue interdictum latum pro peccato veniali v. c. pro leui furto, aut pro verbo otioso

Loquor de graui censura, leuis enim ferri potest pro peccato veniali. Vnde excommunicatio minor incurritur pro communicatione in humanis, cum excommunicato denunciato, aut notorio percussore clerici, quæ ex se est tantum venialis.

Nota 1. etsi affectus internus sit mortalis, si tamen externus ad peccatum mortale non sufficiat, grauem censuram non incurrit. Hinc non innodatur excommunicatione, qui clericum leuiter percutit, etsi fortè habeat affectum mortaliter prauum erga illum.

Nota 2. interdum materiam ex se aliàs leuem, posse prohiberi sub peccato mortali, sicque esse posse causam censuræ: si nimirum fiat gravis ex aliqua circumstantia. vt si graue alicubi oriatur scandalum, ex eo quod clerici comam nutriant. Vnde si Episcopus sub graui censura prohibeat clericis, ne ibi comam gestent violator talis præcepti peccatum mortale, & censuram incurrit.

Nota 3. eum qui furatus est materiam leuem, cum aliis quorum singuli abstulerunt etiam materiam leuem, ita tamen vt ex eorum omnium furtis fiat

materia

materia grauis, sufficiens ad mortale, cum inquam
 utpote peccati mortalis reum, ligari excommunica-
 tione in fures lata.

Responleo 2 non sufficere ad censuram, quod pec-
 catum sit mortale, sed praeterea requiri ut sit aliquo
 modo externum, quia Ecclesia de merè internis non
 iudicat. Vnde sicut non potest praecipere, aut prohi-
 bere actum, merè internum, ita nec propter omisso-
 nem, aut positionem illius censuram inferte.

Si tamen actus internus consideretur, ut coniun-
 ctus est cum externo, sic ab Ecclesia puniri potest:
 quò fit ut excommunicentur inquisitores, qui ex-
 odio, vel spe lucri puniunt innocentem. Et in senten-
 tia communi quae statuit, attentionem internam
 esse necessariam in recitatione officii, dicendum est
 excommunicationem ferri posse in eos qui volun-
 tate, sine attentione horas recitant.

Nota 1. et si censura ferri nequeat propter actum per
 se occultum, seu spirituale, posse tamen ferri pro-
 pter actum per se externum, etsi per accidens sit oc-
 cultus. Vnde excommunicantur haeretici occulti,
 modo haeresim aliquo signo externo sufficienter de-
 clarauerint.

Nota 2. non sufficere ad censuram, quod actus ha-
 beat exterius malitiam mortalem, si cum actu inter-
 no proportionato coniunctus non sit. Vnde non ex-
 communicantur, qui bene interius sentientes de fi-
 de, aliquam haeresim exterius proferunt.

Responleo 3. requiritur ad censuram inferendam, ut
 peccatum coniunctum sit cum inobedientia, & con-
 tumacia per quam Ecclesiae praecipientis autoritas
 contemni videatur. Verum non opus est ut ille sit for-
 malis contemptus, sed virtualis, seu interpretatiuus
 sufficit in eo consistens, ut quis non absteineat a pec-
 cato, sciens illud ab Ecclesia sub graui poena pro-
 hiberi.

Ex qua doctrina sequitur 1. censuram validè inferri
 non posse, ob peccatum soli iuri naturali, aut diuino
 repug-

repugnans, sed requiri contumaciam quæ præceptū Ecclesiæ adiunctum spernatur.

Sequitur 2. censuram infligi non posse ob peccatum mere præteritum, quod nullam præsentem contumaciam adiunctum habet. Vnde etsi qui horas Canonicas non recitauit, possit puniri in pœnam talis peccati, non tamen propterea potest Superior eum excommunicare, aliaue censura propria afficere.

Quod si censura lata esset contra non recitantes officium, qui post sufficientem monitionē horas nō recitaret, censeretur, inobediens, & contumax contra præceptum Superioris, adeoque excommunicationem contraheret.

Respondeo 4. ad Censuram incurendam requiri, vt effectus quem superior prohibet, sit completus. Vnde Titius lapidem, vel sagittam in clericum iaciens, non incurrit excommunicationem contra percussores clericorum latam, si eum de facto non percutiat. Et similiter Caius, cuius mandato, vel consilio Titius clericum percutere tentauit, non ligatur excommunicatione in mandantes, vel consulentes lata.

ARTICVLVS III.

Quomodo multiplex censura incuratur, & quid dicendum de mandantibus, & consulentibus.

DVBIVM est, quomodo per plures actus, aut per vnicum multiplex incuratur censura. *Respondeo* 1. eum qui pluries committit actum, cui annexa est censura, plures incurere censuras, modo actus sint formaliter, & moraliter distincti: secus si talem distinctionem non habeant, esto physice distincti sint.

Hinc eundem clericum pluribus ictibus, cum morali interruptione grauiter percutiens, plures excommunicationes incurrit. At non nisi vnicam, si pluri-

es sine in
uius pec
tum per

Respon
num, cu
str. quar
plicem c
excom m
eum qui
tione in

Sequ

excom m
commu
ille etia
surarius

Sequit

est cleri
cum sta
sti sint,
bere cen
nem in
tes cle
chos.

Oppo

clericu
plurali
na tant
nisi vna

Respon

cutient
nicatio
tiunt p
quia se
inde est
set.

Respo

actum a
hibitur

es sine interruptione morali eum percutiat, etsi grauius peccet. Quia moraliter hæc censetur vna tantum percussio, & vnum peccatum.

Respondeo 2. facientem aliquem actum realiter vnum, cui adiunctæ sunt duæ malitiæ specie distinctæ, quarum quælibet sub censura prohibita est, duplicem censuram incurrere. Vnde *sequitur 1.* si lata sit excommunicatio contra fures, & contra sacrilegos, eum qui furatur in Ecclesia, duplici excommunicatione innodari.

Sequitur 2. eum qui tempore interdicti, publicè excommunicatum in Ecclesia sepelit duplicem excommunicationem incurrere; imò quadruplicem, si ille etiam sit nominatim interdictus, & publicus usurarius.

Sequitur 3. eum qui monachum percutit, qui simul est clericus, duplici excommunicatione ligari: quia cum status clericalis, & monasticus inter se distincti sint, talis percussio duplicem specie malitiam habere censetur, adeoque duplicem excommunicationem infert, quarum altera lata est contra percutientes clericos, altera contra percutientes monachos.

Oppositum tamen dicendum est, si quis percutiat clericum habentem plures ordines; quia cum licet pluralitas ad eundem statum clericalem spectet, vna tantum censetur percussio, adeoque non nisi vnam excommunicationem infert.

Respondeo 3. ex aliquorum sententia, vnicò ictu percutientem plures clericos, non nisi vnam excommunicationem incurrere. Verùm alii communiter sentiunt plures incurrere, iuxta numerum clericorum; quia secundum moralem æstimationem, id perinde est ac si sigillatim singulos clericos percussisset.

Respondeo 4. non ligari duplici censura, facientem actum ab eodem Superiore pluries sub censura prohibito, neque prohibito à diuersis Superioribus

can-

eandem potestatem habentibus, v. c. à diuersis Pontificibus; quia moraliter censetur vnus Superior, etsi diuersa sint personæ. Secus si à diuersis Superioribus distinctam potestatem habentibus v. c. à summo Pontifice, & ab Episcopo prohibitus sit; propter duplicem contumaciam formalem in eo actu reperiuntur.

Nota 1. hoc intelligi modo Superior censuram tulit tanquam suam. Nam si alter vult tantum censuram alterius innouare, aut publicare, non nisi vna censura incurritur. Vnde qui contra vnum aliquod statutum Bullæ cœnæ peccat, non nisi vnam censuram incurrit, etsi hæc Bulla in ipsius Diocesi singulis annis publicetur, & renouetur.

Nota 2. quando vnus Superior prohibet aliquid sub censura, itemque illius successor, iste tamen censuram reseruat, cum prior non reseruasset, id non sufficere vt præceptum transgrediens duplicem incurrat censuram, sed tantum vt censura quam incurrit, sit reseruata.

Dubium est 2. quando mandantes, vel consulentes fieri aliquid ligentur censura. *Respondeo 1.* mandantes innodari censura, etiam non sequuto effectu, quando mandatum principaliter sub censura prohibetur. Quare ex communi sententia, mandantes aliquem occidi per assassinos, excommunicantur, etiam non sequuto effectu. Secus contingit si mandatum tantum accessorie prohibeatur, vt sit in statuto quo prohibetur sub censura percussio clericum.

Respondeo 2. interdum è contra mandantes, aut consulentes non incurrere censuram, sequuto effectu: quando scilicet illi ad talem effectum non influxerunt, quia mandatarius aliunde impulsus delictum patraturus erat. Quo fit vt si Titius ex odio priuato clericum interficiat, non habito respectu ad vllum mandatum, vel consilium extrinsecum, mandantes, & consulentes non ligentur excommunicatione. Secus

cus

cas si voluntatem Titij auxerint, vel ad citius interficiendum efficaciter impulerint.

Respondeo 3. vt mandans non ligetur censura, sequuto effectu, sufficere quod ante executionem mandatum reuocet, eaque reuocatio mandatario innotescat. Quia cum mandatum non fiat, nisi gratia ipsius mandantis eo retractato, mandans non censetur inuenire in effectum.

Vt autem consulens non incurrat censuram, non sufficit, ex multorum sententia, quod ante executionem consilium reuocet. Quia cum consilium utilitatem mandatarij spectet, potest illum mouere, quamuis retractatum sit. Vnde aiunt, consulentem, quando spectatis circumstantiis probabiliter dubitat, effectum vi consilij dati perficiendum, etsi illud reuocet, teneri eum monere contra quem consilium datum est, vt sibi caueat; non tamen ei debere personam indicare, quæ à proposito concepto abstinere non vult.

Alij tamen non improbabiler existimant, consulentem qui consilium quatenus potuit retractauit, censuram non incurrare, sequuto effectu. Quia tunc effectus non tam ipsius consilij suasionibus quam executorij malitiæ tribui debet. Quod maximè verum est, si consilium petens non tam rationibus quam autoritate consulentis ad effectum patrandum inductus fuit. Eademque ratione existimant, neque irregularitatem, neque restituendi obligationem contrahi à consulente, dictum suum serio retractante; cum non sit verè causa effectus.

Respondeo 4. certum esse, non sufficere ad non incurrendam censuram, quod mandans, aut consulens statim de mandato, aut consilio dato doleat, & conuincatur: quemadmodum non sufficit ad cauendam irregularitatem, quod iaciens sagittam in aliquem, actum contritionis eliciat, antequam eum interficiat. Quia adhuc telis actus iure ei imputari debet.

Nota 1. ex multorum sententia, eum non incurrare censuram.

censu-

cenfuram, qui Titio parato occidere clericum, consulit ut eum tantum percutiat, esto sequatur percussio, vel etiam occisio. Verum hæc sententia nobis non probatur, cum percutere clericum simpliciter sit malum, adeoque & illius percussorem consulere. Quare existimo eum qui Titio in eo casu, grauem clerici percussorem consulit, excommunicationem incurrere, si illum de facto ex eius consilio grauiter feriat.

Nota 2. quæ hoc dubio dicta sunt de mandantibus, & consulentibus, intelligi debere in casu quo lex prohibens aliquid sub censura, comprehendit etiã mandantes, & consulentes. Vnde si lex de iis non loquitur, certum est eos censura non affici.

ARTICVLVS IV.

De loco in quo censura ferri potest, & in quo contrahitur.

DVBIVM est 1. an possit Episcopus ferre censuram in aliena Diœcesi. sine consensu Ordinarij. *Respondeo* non posse, quando ad eam ferendam opus est iurisdictione contentiosa. Quia sic alienam iurisdictionem inuadere videtur. At quando iurisdictione contentiosa non est necessaria, posse.

Vnde Episcopus existens extra propriam Diœcesim, potest ferre censuras in proprios subditos, pro re manifesta, ad quam non requiritur iuridica causæ cognitio, vel quæ si requiritur, in propria Diœcesi facta est. Et similiter potest ibi proprium subditum, in foro conscientia, à censuris absoluerè.

Si tamen Episcopus extra proprium territorium vi eiiceretur. posset in loco suo Episcopi operari viciniori, potest, etiam non obtenta licentia, ab Ordinario illius loci, iurisdictionem in suos subditos exercere, adeoque illos censuris afficere.

Dubium est 2. an censura ab Episcopo lata, obliget sub-

subditos extra Diocesim existentes. *Respondeo* 1. si censura sit lata per modum statuti, non obligare, ex communi sententia. Quia statutum afficit territorium, adeoque extra illud non obligat.

Vnde si Episcopus aliquis statuto edito, prohibeat sub poena excommunicationis latae sententiae, ne quis die festo ludat aleis, subditus illius ludens aleis die festo, in aliena Diocesi, non incurrit talem excommunicationem. Et idem die si ludat in loco Diocesis ab Episcopi iurisdictione exempto: quia id perinde est, ac si extra Diocesim luderet.

Hoc autem sic intellige, ut quamuis crimen sub excommunicatione prohibitum, in propria Diocesi inchoatum sit, non incurratur censura, si in aliena perficiatur: ut si stuprum sub censura prohibitum sit, & puellam quis vi abductam, extra propriam Diocesim violet: & similiter si quis hominem intra propriam Diocesim persequatur, & extra illam interficiat. Nisi illum ante egressum lethaliter vulnerasset: quia tunc homicidium in propria Diocesi substantialiter compleverit censetur.

Respondeo 3. quod de statuto diximus, à nonnullis ad sententiam extendi. Verum cum illud assignari soleat discrimen inter statutum, & sententiam, quod statutum afficit territorium, sententia vero ipsas personas, alii probabilius dicunt, subditos extra propriam Diocesim existentes, posse ligari censuris à proprio Episcopo, per sententiam latis.

Vnde si Episcopus simpliciter prohiberet clericis sub excommunicatione, ne aleis luderent, clericus qui in aliena Diocesi, vel in locis exemptis luderet, excommunicationem contraheret. Quod multò magis verum puto, si Episcopus specialiter prohiberet, ne clerici in aliena Diocesi, vel in locis exemptis luderent.

Quo loco *adverte* 1. ab omnibus concedi, si lata sit excommunicatio contra clericos ludentes aleis, ut compareant intra mensem, clericum qui extra territorium

ritorium lufit, ligari excommunicatione, faltem propter inobedientiam, nifi intra terminum præscriptum compareat.

Aduerte 2. certum apud omnes eſſe, exiſtentes extra proprium territorium, tunc faltem cenſura ligari, quando res circa quam peccant, exiſtit in proprio territorio. Quò fit vt ſi Epifcopus excommunicet non residentes in propriis beneficiis, excommunicationem incurrant etiam clerici, extra Diœceſim exiſtentes.

Aduerte 3. eum qui commiſit delictum in proprio territorio, vbi poſtea propter illud cenſura infligitur, eiufmodi cenſuram contrahere, etſi ſtatim poſt patratum delictum domicilium mutauerit. Vnde ſi Parisiis feratur excommunicatio contra eos qui aliquam Eccleſiam ſpoliarunt, niſi intra menſem reſtituant, Titius criminis reus incurrit excommunicationem, niſi intra tempus aſſignatum reſtituat, etſi ante latam cenſuram domicilium ſuum in alienam Diœceſim tranſtulerit.

Aduerte 4. eum qui delictum commiſit extra territorium, in quo domicilium habet, ſi coram proprio Epifcopo conueniatur, poſſe ab eo cogi ſub cenſura, vt parti læſæ ſatisfaciat. Et niſi intra terminum conſtitutum ſententiæ obediatur, in cenſuram incurere.

Dubium eſt 3. an cenſuræ latæ in aliqua Diœceſi ligent extraneos ibi per breue aliquod tempus commorantes. *Reſponſio* communis eſt, cenſuram alicubi latam per ſententiam, non ligare extraneos, niſi maiore anni parte ibi velint commorari: eam verò quæ fertur per modum ſtatuti, eos ligare. Et ratio diſcriminis eſt, quia ſententia directè fertur in perſonas, vt earum contumacia frangatur, quare non reſpicit niſi illos qui propriè ſubditi ſunt. Statutum verò per ſe primò prohibet delictum, & fertur pro ipſo territorio, vt quicumque in eo exiſtunt, tali modo operentur: vnde reſpicit etiam extraneos, quia obbe-

num

num commune, tenentur se conformare legibus propriis loci in quo versantur.

Nonnulli vero eiusmodi discrimen non admittunt, adeoque e contrario modo putant extraneos censura ligari, siue quia eorum aliqui generatim docent, extraneos non teneri per se loquendo, & secluso scandalo, ad leges particulares locorum, in quibus exiguo tempore commorantur, siue quia alij etsi putent, extraneos iis legibus probabiliter tueri, quoad vim directiuam, ita vt peccent eas non obseruando, non tamen quoad vim coactiuam, ita vt incurrant censuras eiusmodi peccatis impositas. Quia id expresse decernitur in Cap. à nobis 2. de sententia excommunicationis, & aliunde non videtur consuetudine inductum vt extranei censuris ligentur, sicut vsus obtinet, vt leges ipsas obseruent.

Addi potest faciendum saltem esse, si extraneus peccet contra statutum, aut contra sententiam qua aliquid prohibetur, aut præcipitur sub censura, eum tam ratione delicti, Episcopo illius loci fieri subditum, adeoque ab eo posse citari, quamdiu ibi manet, etsi comparere, aut satisfacere renuat, censura affici.

ARTICVLVS V.

De causis excusantibus ab incurso censura.

QVBIVM est 1. de ignorantia. *Respondeo* 1. censuram non incurri ab eo qui ignorat inculpabilitate operi malo quod perpetrat, adiunctam esse censuram. Quia cum censura grauis sit poena, æquum non videtur vt ab eo incurratur, qui illam violare non intendit; esto faciat actum cui adiuncta est. Quod ex eo confirmatur, quia cum ex communi sententia, censura valide ferri non possit, nisi præcedat monitio aliqua, sub comminatione censuræ, inde vide-

tur consequens, censura non ligari eos qui illam omnino ignorant.

Vnde collige, excommunicatione lata contra percutientes clericos, non ligari ignorantem, eum quem percutit, esse clericum; aut percussorem clericum, sub pœna excommunicationis prohibitam esse.

Sequitur 2. iam dicta procedere, non modo de ignorantia antecedente, quæ est causa operis, sed etiam de comitante, quæ non est causa illius. Quo fit ut non incurrat excommunicationem, clericum percutiens cum tali ignorantia; etsi habitualiter ita affectus sit, ut æquè percuteret, quamvis sciret esse clericum & excommunicationem ab iis incurri, qui clericum percutiunt.

Ignorantia tamen consequens, seu quæ voluntatè aliquo modo consequitur, non exusat a censura, siue ea sit directè volita, seu affectata, siue tantum indirectè, quo modo crassa, seu supina dici solet. Verùm prior ignorantia minus excusat, quàm posterior. Imò si censura lata sit contra eos, qui tale quid scienser, vel temerario ausu egerint, vel agere præsumpserint, ignorantia crassa omnino excusare videtur.

Dubium est 2. de appellatione. Respondeo quando sententia excommunicationis, vel alterius censura simpliciter est lata, eam non suspendi per simplicem appellationem: at si tantum sit lata sub conditione, interiecta appellatione ante aduentum conditionis, suspendi, etsi postea conditio adueniat.

Porro tunc censura dicitur simpliciter, seu absolute lata, quando aliquis censura ligatur, propter actum sub comminatione censura, ipso facto incurrendæ prohibitum, sub conditione verò, quando superior præcipit subdito, ut faciat aut non faciat aliquid sub pœna excommunicationis, alteriusve censura incurrendæ.

Vnde si lata est excommunicatio contra clericos ludentes, clericus qui ludit est iam de facto excommunicatus.

municatus, adeoque per appellationem superuenientem impedire non potest, quin eiusmodi censuram incurrat. Si vero inferior præcipiat alicui sub pena excommunicationis, vt intra mensem compareat, talis censura per interpositam appellationem suspenditur, dummodo intra mensem appellatio fiat: adeoque non comparens tempore statuto, censuram non incurrit.

Vbi nota 1. ad vitandam censuram, non requiri formalem, seu expressam appellationem, sed virtuales seu tacitam sufficere, vt fit dum quis se submittit protectioni superioris, aut cum iter ad illum arripit, antequam censura innodatus sit.

Nota 2. vt non incurratur censura, requiri vt appellatio siue expressa, siue tacita fiat cum causa sufficiente, & probabili, vel saltem cum bona fide; ita vt appellans probabiliter existimet, sibi causam legitimam appellandi subesse. Vnde etsi interpositam appellationem postea minimè prosequatur, non propterea censuram incurret, cum desertio appellationis legitime inchoata, non efficiat vt vsus iurisdictionis, qui validè per eam fuit impeditus, denuo restauretur.

Nota 3. vt appellatio valeat, requiri vt appellans causam scripto exprimat, & superiori intimet, à cuius sententia prouocat. Quòd si causa apertè friuola est, & nullius momenti, appellatio ei innixa non impedit effectum censuræ, & superior ad quem appellatum est, eiusmodi appellationem admittere non debet.

Nota 4. appellationem non debere fieri per saltum, sed gradatim; quare excommunicatus sub conditione ad Archidiacono, non potest immediatè appellare ad Archiepiscopum, sed tantum ad Episcopum, nisi consuetudine aliter introductum sit. Potest tamen immediatè appellare ad summum Pontificem.

Nota 5. iam dicta non procedere in causa fidei, quia in ea appellatio non admittitur. Nec etiam in causis regularium, quando secundum regulam corrigun-

tur: iis enim à tali correctione appellare non licet.

Dubium est 3. de impotentia. Respondeo impotentiam faciendi quod præcipitur sub censura, ab ea incurrenda, excusare. Quod non tantum verum est de impotentia physica, sed etiam de morali, quando scilicet sine graui incommodo res præcepta fieri nequit. Vt si nequeat quis sine vita discrimine, so uere quod debet: tunc enim præceptum soluendi non obligat, adeoque nec censura ei annexa.

Aduerte tamen 1. eum qui cum adest tempus restituendi, excusatur de presenti ob impotentiam, ne censuram incurrat, eam nihilominus incursum, si factus postea potens non satis faciat. Quia terminus assignatus non est ad finiendam obligationem restituendi, sed ad non amplius differendam restitutionem. Quare si ex causa diu ius differtur, obligatio restituendi semper manet, eique quamprimum satisfieri debet.

Aduerte 2. si creditor terminum solutionis proroget non nisi eo adueniente censuram incurri. Quia cum ad instantiam illius, lata sit censura, negari iure nequit, quin possit illius effectum suspendere, prorogatione termini: quo elapso, debitor non satisfaciens censuram incurrit, ex vi præcedentis sententia, que adhuc viget. Neque ad hoc expectanda est noua sententia iudicis.

Dubium est 4. de metu. Respondeo grauem metum purè & simpliciter illatum, excusare ab incurrenda censura sicut excusat à culpa contra præceptum humanum, cui censura annexa est. Vnde si prohibeatur clericis sub pœna excommunicationis, deferre arma, clericus qui aliquando metu mortis, ea deferret, non incidet in censuram.

Quod si metus inuentiatur in contemptum religionis vel auctoritatis Ecclesiasticæ, multorum est sententia, eiusmodi metum non excusare à censura; quia nõ excusat à mortali, violationem præcepti Ecclesiastici, cui censura adiuncta est, verum hoc non caret

caret difficultate, quia etsi ex graui metu, in cōtem-
 ptum Ecclesiæ incusso, præceptum Ecclesiasticum
 violans, peccet mortaliter non tamē quatenus præ-
 ceptum illud violat, sed quia facit contra ius diui-
 num, & naturale, quo quis tenetur, etiam cum peric-
 ulo v. r. bonum commune religionis, & authori-
 tatis Ecclesiasticæ tueri. Quare cum censura præce-
 pto purè Ecclesiastico adnexa sit, non autem natura-
 li aut diuino, hinc plane consequens videtur, viola-
 torem præcepti Ecclesiastici, in eo casu, censuram
 non incurrere.

Imo iuxta communem sententiam, si homicidio,
 vel adulterio censura, ex præcepto Ecclesiæ, adnexa
 sit qui homicidium, vel adulterium ex graui metu
 perpetrat, non censetur peccare contra præceptum
 Ecclesiasticum, adeoque nec censuram incurrit; et si
 peccet contra præceptum naturale, & diuinum quo
 homicidium, vel adulterium prohibetur.

ARTICVLVS VI.

*De forma seu ritu ferenda censura, & de valo-
 re illius.*

QVBIVM est: an ferens censuram mentem suam
 exterius exprimere debeat. *Respondeo* 1. ad valo-
 rem censuræ requiri, vt intentio superioris eam fe-
 rentis exterius verbis, aliisue signis sufficienter ex-
 primatur; quia aliàs esset subdito ignota, nec pro-
 pter violari posset.

Respondeo 2. etiam requiri vt censura exprimatur
 in particulari, & non tantum in genere, quia censu-
 ra genericè spectata non existit, neque hominem af-
 fectere potest. Vnde si quid prohiberetur sub censura
 in genere, & non in specie sub excommunicatione,
 vel suspensione, &c nihil fieret.

Nota tamen, quando aliquid prohibetur sub excō-
 municatione, id non debere intelligi de excōmu-
 nicatio-

nicatione in genere, sed de maiori excommunicatione, vt patet ex vſu communi; adeoque censure ſic lata valet.

Reſpondeo 3. ſi quis ferret cenſuram ſolis verbis, ſine ſcriptura, aut ſine expreſſione cauſæ, etſi hoc ſufficeret ad valorem cenſuræ, ille peccaret mortaliter, ipſoque iure ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ & à diuinis officiis per meſem incurreret. Et idem dic de iudice, qui patri petenti non concederet exemplar ſcripturæ intra meſem. Iſta enim omnia ſub hac pœna in iure præcipiuntur. A qua tamen excipiendus Epicoſopus, cùm in iure ſpecialis illius mentio non fiat. itemque ij qui ex cauſa neceſſaria, & vrgente Cenſuram ſine ſcriptura ferre coguntur; & qui bona fide eam formam, tanquam minimè neceſſariam, prætermittunt.

Dubium eſt 2. an requiratur monitio. *Reſpondeo*, vt cenſura in aliquem licitè, aut validè feratur, requiri aliquam monitionem, ſeu comminationem: ſed cum diſcrimine. Nam vt incurratur cenſura latæ ſententiæ, ſiue à iure, ſiue ab homine, pro futura culpa, ſufficit notitia legis ipſius, qua ſtatuitur, vt quicumque hoc fecerit, ſit hoc ipſo excommunicatus, aliæ cenſura ligatus. Reus tamen à iudice citari debet, ne indiſta cauſa declaretur cenſura affectus.

Vt autem quis incurrat cenſuram ab homine inſtigendam, pro culpa præterita, in qua perſeuerat, aut pro qua ſatisfacere renuit, requiritur monitio canonica, qua reus agnoſcat ſe cenſuræ ſubijciendum, niſi à culpa abſtineat, aut ſi pro ea ſatisfacere recuſet.

Imò etſi cenſura ferenda ſit, ex præſcripto iuriſtamenti, vt qui hoc fecerit excommunicetur, verius eſt iudicem non debere ſine monitione, contra reum de crimine conuictum procedere; ne fortè cenſuram inſtigat, propter culpam merè præteritam, & emendatam.

Porro hæc monitio ex iure debet eſſe trina, interpoſito

posito aliquot dierum intervallo. Ex causa tamen potest vna sufficere pro tribus; interdum etiam potest iudex statim post comminationem, censuram infligere, nisi reus obediat.

Quando censura fertur contra personam aliquam particularem notam, admonitio facienda est coram illa, adhibitis testibus idoneis. Quod si per dolum latet aut per vim impeditur, ne conveniatur, hoc probato, sufficit monitionem facere ad domum illius, aut si caret domicilio, in principali Ecclesia.

Dubium est 3. de valore censura. Respondeo 1. inualem esse censuram, quando fertur ob causam falsam, quae à parte rei non subsistit, esto in iudicio per falsos testes sit probata. Quia ex supradictis censura neque licite, neque valide ferri potest, nisi propter peccatum. Unde sic excommunicatus non tenetur, secluso scandalo, se gerere tamquam excommunicatum.

Respondeo 2. idem dicendum esse, quando causa ob quam fertur censura, non est aequa, ut cum quis ob peccatum leue, graui censura afficitur. In dubio autem, an causa illa tali censura digna sit, nec ne, is in quem lata est, tenetur ex communi sententia, se gerere tamquam censura ligatum. Quia cum constat censuram latam esse, nec satis constat de iustitia illius, praesumendum est in fauorem ferentis.

Nota in dubio, an iudex censuram tulerit, non esse obligationem seruandi censuram. Idem dicitur quando constat latam esse censuram, sed merito dubitatur an sit lata sententia, an tantum ferenda. Quod si constat censuram latam esse, & ligare, dubitatur autem de absolutione, dubitans debet se gerere tamquam adhuc ligatum. Sed quid si dubium sit de potestate ferentis? Distinguo. Si est in possessione ferendi censuram, valet censura ab eo lata, secus si non sit in possessione.

Respondeo 3. ferentem censuram in aliquem ex odio, alioque prauo affectu peccare; valere tamen censuram,

ram, si subsit iusta causa eam ferendi, & necessarius ordo iuris non sit prætermittendus.

ARTICVLVS VII.

De eo qui potest absoluere à censura.

DVBIVM est 1. quis possit absoluere à censura iuris reseruata vbi per censuram iuris, non modo ea intelligitur, quæ per statutum Papale lata est, sed etiam quæ per Episcopale. *Respondeo* eum tantum ab hac censura posse absoluere, qui eam tollit, vel eius superiorum aut successorem in dignitate, vel eum qui ab iis habet facultatem. Quia per reservationem facultas absoluendi aliis adimitur.

Si verò censura iuris non sit reseruata, quilibet Sacerdos ad confessiones audiendas approbatus, ab illa absoluere potest, nisi specialis quædam locorum prohibitio, aut consuetudo obstat.

Dubium est 1. quis possit absoluere à censura lata ab homine per sententiam generalem, aut particularem. *Respondeo* quando talis censura est reseruata, eam iure communi non posse tolli nisi a ferente, vel ab eius superiore, ut successore, aliove habente specialem facultatem ab illis, vt perspicuum est.

Respondeo 2. apud omnes certum esse, censuram particularem distinctè in aliquem latam, non nisi à prædictis tolli posse. Vnde si Episcopus Titium excommunicauit ob delictum præteritum, talis excommunicatio, etsi alioqui expressè non reseruata, tolli non potest à Parocho, vel à simplici Sacerdote ad confessiones audiendas deputato sine speciali commissione Episcopi. Quia id non posset fieri sine iniuria ferentis, vt per se patet. Et idè à pari dicendū videtur de censura, per sententiā confusè lata contra aliquos ob speciale delictum præteritum; hæc enim multis particularibus æquiualeat, & cum non sit lata sine causa

causæ discussione, turbaretur iurisdictio ferentis, si ab alijs quàm à prædictis tolleretur.

Respondeo 3. maiorem esse difficultatem de censuris non reservatis, latis ab homine per sententiam generalem, pro culpis futuris. Nonnulli enim contendunt, eas non posse tolli nisi à ferente, vel alio habente eandem, aut maiorem potestatem; quia nullum est ius quo talis facultas inferiori tradatur. Multi tamen existimant idem de his censuris dicendum esse, ac de censuris iuris minimè reservatis, adcoque eas à quolibet Sacerdote, habente facultatem absolvendi à peccatis mortalibus, tolli posse. Quia cum censura iuris non reservata, ideo ab inferioribus tolli possunt, quia verisimile est legislatorem velle, ut ab iis tollantur, cū sibi eas non reservaverit, ut iura ipsa loquuntur; dicendum videtur ob eandem rationem, censuras ab homine latis, per sententiam generalem, pro culpis futuris, eodem modo tolli posse, si non sunt reservata. Atque amba hæ sententia sunt probabiles, & in praxi tutæ, quamvis prior sit tutior. Vbi tamen consuetudo posteriori repugnat, prior absolute amplectenda est. Ut autem istæ resolutiones clariùs intelligantur.

Nota 1. sede vacante, posse Capitulum absolvere à censuris ab Episcopo latis quia Capitulum Episcopo quoad iurisdictionem succedit. Dico, sede vacante, siue Episcopus sit mortuus, siue non.

Nota 2. posse Episcopum absolvere à censuris latis ab Abbate, vel Archidiacono, vel Archipresbytero sibi subditis. Peccaret tamen contra debitum ordinem, si id faceret irrequisitò inferiori, qui censuram tulit, & non exigendo præuiam satisfactionem, ab eo qui censura fuit ligatus.

Nota 3. Vicarium Generalem Episcopi habentem tantum commissionem ordinariam, & uniuersalem in tam Diocesim, non posse absolvere à censuris nominatim in aliquem ab Archidiacono, aliove inferiori latis, sed ad hoc commissionem specialem

accipere debere. Vnde à fortiori requiritur speciale mandatum vt possit absoluere à casibus, aut censuris Episcopo reservatis.

Nota 4. non posse Archiepiscopum absoluere subditos suorum Suffraganeorum, quos ipsi, vel eorum Vicarij Generales censura affecerunt, nisi in casu appellationis, aut visitationis.

Nota 5. posse Episcopum ex Trid. absoluere in foro conscientia suos subditos in propria Diocesi, à casibus, & censuris summo Pontifici reservatis. Quod intellige, de casibus occultis, seu non publicis, nec ad forum contentiosum deductis, aut si deducta sūt, non probatis.

Dico, in foro conscientia, non eo sensu vt absolutio à censuris non detur nisi in foro penitentia, sed ita vt non prosit pro foro externo; adeoque detur priuatim sine notario, & testibus.

Nota 6 posse Episcopum absoluere suum subditum à censura publica Papæ reservata, quando qui eam incurrit, non potest sine graui incommodo Pontificem adire. Si tamen potest ad Legatum, vel Nuntium Pontificis recurrere, ad id tenetur, vt ex iure constat. Verum etsi posset adire priuilegiatum si habet copiam illius, non puto teneri, cum iura ad eum non obligent.

Nota 7 quando Pontifex in Iubilæo, vel aliàs concedit facultatem generalem absoluendi à casibus sibi reservatis non modo posse, ex multorum sententia, confessarios approbatos absoluere à peccatis, & censuris sedi Apostolicæ reservatis, sed etiam ab iis quæ sunt reservata à locorum Ordinariis. Quia qui concedit maius, censetur concedere & minus. Verum hæc sententia nobis paulò dura videtur, quia non est credendum, quod Papa intendat derogare auctoritati Prælatorum inferiorum, nisi id aliquo modo exprimat.

Nota 8. ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 7 quemlibet Sacerdotem posse in articulo mortis constitutum, ab-

absoluere à quibuscunque casibus, & censuris reser-
uatis. Imò aliqui dicunt quemlibet Sacerdotem id
posse, quamuis adsit Superior, vel proprius confessa-
rius quia Concilium videtur absolute potestatem il-
lam pro eo articulo concedere, & non tantum defi-
ciente confessario, cum dicat simpliciter, nullam ef-
feruationem in articulo mortis. Atque hoc val-
de probabile est, quamuis oppositum sit tutius, &
semper consulendum, nisi grauis causa obstet; quia
quando agitur de salute aeterna, certiora sunt eligen-
da. Vnde ne hac in re erretur.

Nota 9. simplicem Sacerdotem non debere absol-
uere constitutum in articulo mortis, nisi à censuris
quae impediunt susceptionem Sacramentorum, vel
Ecclesiasticam sepulturam, nimirum ab excommu-
nicatione, & interdicto personali. Debere etiam iu-
ramentum exigere a poenitente, sese presentandi
proprio superiori, quam primum id fieri poterit.
Quod si poenitens postea promissis stare negligat, in
similem censuram reseruatae eo ipso incurret: nisi
absolutionem à priori obtinuerit ab aliquo confessa-
rio, habente facultatem ab ea extra mortis articu-
lum absoluendi.

ARTICVLVS VIII.

De absolutione à censura.

QVIBVM est, quid requiratur in forma absolutio-
nis. *Respondeo* validam esse absolutionem à censu-
ris, datam illis verbis *Absoluo te.* Vnde si Sacer-
dos illis verbis intendat poenitentem absoluere à
censuris, & à peccatis confessis, id ad vtrumque suffi-
cit. Exprimi tamen solet censura à qua quis libera-
tur, & causa ob quam eam incurrit, hoc vel simili
modo: *Absoluo te ab excommunicatione, quam, ob
percussionem clericis, incurristi.* Imò hac expressio
necessaria est, quando poenitens plures eiusdem ra-
tionis

tionis censuras incurrit, & ab vna tantum absoluitur.

Nota ex communi sententia, posse summum Pontificem solis nutibus aliquem absoluere à censura; alios verò Prælatos inferiores non posse ab ea absoluere sine verbis aut scriptura.

Dubium est 2. an qui pluribus censuris ligatus est, possit valide absolui ab vna, etsi non absoluitur ab alia *Respondeo* affirmatiue. Censuræ enim non tolluntur per formam aliquam omnibus repugnantem, sicut quodlibet peccatum mortale tollitur per gratiam, quæ cum nullo peccato mortali, ex lege ordinaria coherere potest. Vnde etsi censura sint eiusdem rationis, v. c. plures excommunicationes, ob percussionem Clerici, incurræ, vna potest validè tolli sine alia.

Nota 1. pluribus censuris irretitum, qui petit absolutionem ab vna, non absolui ab aliis, etsi absolues generalem absolutionem ei impendat Quia credibile est intentionem absoluentis limitari, iuxta petitionem absoluentis. Et hoc verum est, etiam si petens absolutionem ab vna determinatè, vellet absolui ab omnibus; quia verba absolutionis, etsi indefinita, non debent extendi iuxta petentis intentionem, cum ignota sit, sed iuxta verba illius. Si tamen petitio esset absoluta, & absolutio similiter, omnes censuræ ablatae essent, nisi ex intentione absoluentis forma esset limitata, ad aliquam specialem censuram.

Nota 2. ista præsertim in foro externo locum habere, quia etsi in Sacramento pœnitentiæ aliqua censura inculpabiliter prætermittatur, Sacerdos generalitè ab omnibus absolvens, in quantum potest, & pœnitens indiget, censetur habere intentionem omnes tollendi. Si tamen non intendat auferre nisi censuram in confessione declaratam, ea tantum tollitur. Quare optimum consilium est, vt pœnitens generalem absolutionem ab omnibus petat.

Nota

Nota 3. absolutionem generalem non esse extendendam ad censuram, à qua non potest Sacerdos, cui fit confessio, licite absoluerè, nisi præmissa satisfactione, etsi validè possit. Quia credendum non est, quod velit absolutionem extendi ad censuram, à qua tunc sine peccato mortali per se loquendo absoluerè nequit. Vnde si pœnitens eiusmodi censuræ in confessione non meminit, absolutio licet generalis, in eam non cadit.

Dubium est 3. an quando aliquis censura affectus est, propter iniuriam quam alteri intulit, vt absolutio valeat, præmittenda sit satisfactio. *Respondeo 1.* eum qui habet potestatem ordinariam absoluendi à censuris, posse validè absoluerè pœnitentem, antequam parti læsæ satisfecerit: quia talis absolutio nullo iure irritatur. Ita tamen absolvens graviter peccat, quia pœnitens obtenta absolutione à censura, parti læsæ satisfacere non curabit.

Respondeo 2. valere etiam, ex communi sententia, absolutionem non præmissa satisfactione ab eo datam, qui habet facultatem delegatam; absque limitatione, præmittendæ satisfactionis. Quia gerit vires Ordinarij qui sic validè absoluerè potest, & verba concessionis tantum valent, quantum sonant.

Respondeo 3. si concessio prædictam limitationem expressè contineat, non valere absolutionem datam antequam pœnitens satisfecerit. Vnde certum est, quando privilegium est concessum sub hac forma, *non possit absolui, nisi satisfecerit*, absolutionem datam ante satisfactionem, nullius esse valoris.

At quando datur sub illis verbis, *Concedo tibi facultatem absoluendi, satisfacta parte*, nonnulli putant hanc non esse clausulam irritantem, sed iis verbis moneri delegatum, quid præstare debeat, antequam absoluat. Alij tamen oppositum sentiunt; quia dare facultatem absoluendi satisfacta parte, perinde videtur ac dare illam facultatem, supposita satisfactione, & non aliter.

Nota 1. quando pœnitens aut simpliciter, aut moraliter, seu sine graui incommodo non potest satisfacere, & absolutio nimis esset differenda, delegatū posse eum absolueri, etsi in priuilegio cautum sit ne absoluat, nisi præmissa satisfactione. Quia verisimile non est delegantem velle, vt pœnitenti quantum est ex se legitime disposito, negetur absolutio à censura, defectu conditionis impossibilis.

Nota 2. debere tunc pœnitentem, antequam absoluat à censura, exhibere cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, vel saltem, si alias non possit, iuratoriam; ita vt sub iuramento spondeat se satisfacturum, cum primum potuerit.

Nota 3 si omnibus accuratè iuxta regulas conscientie, perpeasis, dubium manet, an pœnitens teneatur satisfacere, non esse necesse vt satisfactio præcedat absolutionem, etsi facultas absoluendi non nisi sub illa conditione data sit. Ac multo minus si nulla sit pars læsa, cui satisfactio facienda sit, restitutione pecunie, vel aliorum bonorum.

Nota 4 excommunicatum donec satisfecerit, non esse liberum ab excommunicatione, eo ipso quod satisfecit, sed præterea indigere absolutione à tali censura. Si quis tamen sit interdictus, vel suspensus donec satisfecerit, posita satisfactione, tollitur interdictum, vel suspensio.

Dubium est 4 an dolus, vis, aut metus irriret absolutionem à censura. *Respondeo 1.* hanc absolutionem obtentam per dolum, circa causam finalem, nullius esse valoris: quia superior non nisi tali causa subsistente, intendit absolueri, vt si pœnitens falso dicat se parti satisfacisse valere autem si dolus versetur tantum circa causam impulsuā, sine qua scilicet data esset absolutio, et si non tam facile.

Respondeo 2. absolutionem à censura obtentam per vim, aut merum iniuriosum, cadentem in virum constantem, à iure irritari, nec immerito; quia sic disciplina Ecclesiastica cluditur, & enervatur: imò qui sic abso-

olutionem obtinet, in nouam excommunicationē irritam. Nec refert quod censura ex metu lata non sit irrita, si aliunde iusta sit, quod enim valeat, id non laedit disciplinam Ecclesiasticam, quin potius eam firmat, et modo eam obtinendi sit iniuriosus.


Dubium est 5. an non tantum Ordinarius, sed etiam delegatus possit absoluere à censuris, extra confessionem. *Respondeo* posse, tum quando facultas absoluedi ei concessa est generalis, & absoluta; tum quando datur illi facultas absoluedi à censuris, in foro confessionem: talis enim restrictio non significat, absolutionem non esse dandam nisi audita confessione, sed eam non profuturam in foro exteriori, nec impedireturam quin Superior possit in absolutum inquirere, etque iustam poenam imponere.

Quod si detur illi facultas absoluedi à censuris, in foro Sacramentali, sic non poterit valde reum absoluere, nisi audita confessione Sacramentali, ut in libellis fieri solet. Et idem dicendum videtur, si accipiat potestatem absoluedi in foro poenitentiae; quanquam non desint qui putent, eum tunc posse absoluere à censuris, extra confessionem, iniuncta salutaris poenitentia.

Nota 1. absolutum à censura in foro Sacramentali, non egere noua absolutione in foro externo; posse autem constare de illa absolutione, ex attestatione confessarij, cum consensu poenitentis facienda, si opus sit.

Nota 2. absolutum in foro interiori, posse se gerere tanquam absolutum, coram iis qui norunt eum fuisse absolutum, non autem coram aliis qui id ignorant, nisi etiam censuram ab eo incursum, ignorent.

(. . .)



CAPVT II.

DE EXCOMMUNICATIONE
in genere.

ARTICVLVS I.

De primo, & secundo effectu maioris excommunicationis.



VFONIMVS duplicem esse excommunicationem, aliam *maiores*, aliam *minorem*, de quibus in hoc capite agendum. Maior describitur, *Censura Ecclesiastica qua homo baptisatus priuatur participatione Sacramentorum, communibus Ecclesie suffragiis, & fidelium consortio.* Unde patet varios esse effectus istius excommunicationis, qui sigillatim in hoc, & sequentibus articulis explicandi sunt.

Primus effectus maioris excommunicationis, quæ absolute excommunicatio dici solet, in eo consistit, quod ea innodatus priuetur vsu tam passiuo, quam actiuo Sacramentorum. Ita vt nefas ipsi sit suscipere Sacramenta, vel ea administrare, antequam ab excommunicatione sit absolutus.

Quo loco nonnulla, tam circa susceptionem Sacramentorum, quam circa eorum administrationem, obseruanda sunt. Et quidem quod spectat ad Sacramentorum susceptionem, *Obseruandum* 1. Excommunicatum qui Sacramentum aliquod suscipit, per se loquendo, peccare mortaliter, etsi sit toleratus. Dico, per se loquendo, nam si non habeat copiam confessarii, qui possit eum ab excommunicatione absolueri, & interim ad vitandam infamiam, aut scandalum teneatur aliquod Sacramentum suscipere,

talis

alis susceptio non debet illud ad peccatum imputari.

Observandum 2. excommunicationem non impedire, quin Sacramenta validè ab excommunicato suscipiantur: quod verum est etiam, quando ille ea suscipiendo peccat mortaliter, & consequenter eorum effectum priuatur. Excipi tamen debet Sacramentum poenitentiae, in eorum sententia qui nobiscum sentiunt, hoc Sacramentum non posse esse validum quoad substantiam, & carere effectum.

Observandum 3. Sacerdotem scienter administrantem Sacramentum excommunicato, etiam tolerato, grauius peccare contra ius naturale diuinum, quo iubemur sancta sanctè tractare, esto non peccet contra vllam prohibitionem Ecclesiasticam. Non tamen peccare, administrando Sacramentum excommunicato occulto, publicè petenti. Quod maxime verum est, si ipse excommunicatus non peccet, petendo.

Observandum 4. quando excommunicatus est fide dignus, posse Sacerdotem ei credere affirmanti, se ab excommunicatione absolutionem obtinuisse. Imò eo ipso quod petit Eucharistiam, aliqui dicunt praesumi posse, eum ab excommunicatione fuisse absolutum nisi oppositum euidentè constet, aut adsit periculum scandali, si Eucharistia ei administretur.

Observandum 5. si excommunicatus sit vitandus, peccare mortaliter Sacerdotem contra prohibitionem Ecclesiae ei Sacramentum aliquod administrando, & incurrere minorem excommunicationem, ac interdictum ab ingressu Ecclesiae. Imò si quis sit excommunicatus a Papa, & nominatim declaratus ac denunciatus, clericus eum scienter & sponte admittens ad diuina officia, incurrit excommunicationem Papae reseruatam.

Iam quod attinet ad Sacramentorum administrationem, *nota 1.* Sacerdotem excommunicatum, toleratum,

ratum,

ratum, validè Sacramenta posse administrare; imò & licet quando fidelis ex graui causa, aliquod Sacramētum sibi ab illo administrari postulat: modo per ipsum non stet, quin absoluaatur à censura, & Sacramenti administrationi contritionem præmittat.

Nota 2. etsi peccet Sacerdos excommunicatus, toleratus qui propria sponte, & minimè requisitus, se ingerit ad Sacramenta administranda, non tamen eū peccare, qui ad illū sic expositum accedit: nisi alius adfit à quo aequè commodè, & cum non minori fructu, Sacramentum sumere possit.

Nota 3. excommunicatum non toleratum, validè alia Sacramenta administrare, præter pœnitentiam, ad quam requiritur iurisdicctio. Imò hanc etiam validè administrare, tum quando habet titulum coloratum, tum in articulo mortis.

Nota 4. ilium peccare mortaliter, per se loquendo, qui sine graui causa, Sacramentum aliquod petit à ministro non tolerato. Excusatur tamen qui ab eo petit baptismum, vel pœnitentiam in articulo mortis. Quod non immeritò extendunt aliqui ad viaticum, & etiam ad extremam vnctionem, quando alia Sacramenta ab infirmo sumi non possunt.

Non tamen ab eiusmodi ministro sumi potest aliquod ex his Sacramentis, quando est copia alterius, aut quando communicatio cum illo vergeret in perniciem suscipientis, vel adstantium.

Secundus effectus maioris, excommunicationis est, priuare communibus Ecclesiæ suffragiis, quæ scilicet à clericis offeruntur pro fidelibus nomine Ecclesiæ, qualia sunt Missæ sacrificium, orationes publicæ &c. Vnde hæc applicans excommunicato, peccat mortaliter.

Vbi nota 1. hoc debere intelligi, saltem de excommunicato, non tolerato, cum ex communi sententia, non liceat pro illo publicè orare, & suffragia ferre. Aliqui tamen id extendunt etiam ad toleratum, ita

ita ut et si liceat cum eo communicare, quoad exte-
riorem auditionem Missæ, recitationem officiorum
&c. non tamen quoad internam eiusmodi suffragio-
rum communicationem.

Verùm hæc extensio aliis non placet, quia in extra-
vag. *ad evitanda scandala*, statuitur absolutè ut nemo
deinceps a communione alicuius, in Sacramento-
rum administratione, vel receptione, aut aliis qui-
buscunque diuinis, prætextu cuiuscunque sententiæ
aut censure teneatur abstinere, nisi publicè sit de-
nunciatus, aut si notorius, percussor clerici. Illa e-
nim verba, *aut aliis quibuscunque diuinis*, meritò ad
suffragia communia extenduntur; maximè cum fa-
uores sint ampliandi.

Nota 2. excommunicatum non toleratum, etsi per
contritionem iustificetur, non posse fieri participem
suffragiorum Ecclesiæ, ante obtentam absolutionem.
Quia gratia non impedit, quin adhuc censura inno-
datus sit. Vnde sacrificium illi applicatum nihil ei
prodest, quantum ad effectum qui Missæ respondet,
ex meritis Ecclesiæ.

Si tamen Sacerdos pro illo sacrificium offerat in
persona Christi, seu quatenus agit ut minister illius,
hoc modo sacrificium poterit ei prodesse, tū vt im-
petratorium, tum vt satisfactorium, etsi offerens
grauiter peccet.

Nota 3. quamuis illicitum sit offerre sacrificium
Missæ pro excommunicato, non tolerato, posse ta-
men Sacerdotem, tanquam personam priuatam, &
particularem, pro eo in Missa orare.

ARTICVLVS II.

De tertio, & quarto effectu excommunica- tionis.

Tertius effectus est, vt excommunicatus non possit
diuina officia celebrare, vel iis interesse. Vnde si
ante absolutionem, Missam audiat, vel officiis diui-
nis

nis

nis interfit, peccat mortaliter, nisi ignorantia, vel necessitas excuset, non tamen aliquam pœnam Ecclesiasticam incurrit.

Vbi *aduerte* .i. ex opinione multorum quæ nobis paulo dura videtur, excommunicatum non peccare mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, non audiendo Missam in die festo: etsi non stet nisi per illum, ne ab excommunicatione absoluat. In communi tamen sententia, mortaliter peccat excommunicatus, qui negligit procurare absolutiōem vt possit confiteri, & communicare in Paschate.

Aduerte .i. etsi excommunicatus siue vitandus siue non vitandus, peccet mortaliter, audiendo Missam; eum tamen qui Missam audit eum non vitando; aut qui eam celebrat coram illo, non peccare.

Verùm si excommunicatus vitandus Missæ interfit, monendus est vt exeat, & si sponte exire nolit, vi ab Ecclesiæ est eiciendus. Quod si sine periculo expelli nequit, adstantes discedere debent, & sacerdos ipse tenetur Missam non inchoare, & inchoatam intermittere, si nondum canon inceptus. Quod si canon inchoatus est, quando excommunicatus accedit, potest sacerdos nondum incepta consecratione recedere; potest etiam si velit Sacrum proficere, vsque ad consummationem inclusiue. Quæ peracta, debet se in Sacristiam recipere, vt reliqua perficiat.

In dicto autem casu vitandus noxiens egredi nouam excommunicationem Papæ reseruatam incurrit: audientes Missam cum illo peccant mortaliter: & Sacerdos qui coram eo scienter Sacrum facit, non modo lethaliter peccat, sed etiam interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrit: & si, quamdiu interdictus est, celebrat, vel actum ordinis exercet, irregularitatem contrahit.

Si tamen incepta Missa, cadaver hominis nominatim excommunicati in Ecclesiam deferatur, non tenetur Sacerdos Missam interrumpere, neque adstantes

antes tenentur discedere. Caueant tamen ne illud aqua lustrali aspergant, vel aliter cum eo communicent.

Aduerte 3. quòd sicut non licet Missam celebrare coram non tolerato, ita nec diuina officia publice recitare. Imò ex communi sententia, ille peccat qui cum eo priuatim horas recitat. Si tamen excommunicatus non potest officium solus recitare, dicendum videtur eum non peccare, qui alternatim cum illo priuatim horas recitat. Addo probabiliter dici posse, nullum esse peccatum ex parte excommunicati, vel socii, si iste teneatur aliàs ratione officii sui, eum in recitatione horarum iuuare.

Si queras, quàm graue sit peccatum non tolerati, simul cum alio recitantis officium extra casus iam dictos aut socii qui cum eo recitat. *Respondet* vtriusque peccatum non videri, per se loquendo, plusquam veniale, ob leuitatem materiæ.

Aduerte 4. vt sacrificium, vel officium sit intermittendum, coram excommunicato non tolerato, non sufficere qualemcumque illius presentiam, sed requiri vt Missæ, vel officio mortaliter interesse censeatur. Quare si dum Missa in vna parte celebratur, ille sit in alia multum distante, aliis rebus vacans, non propterea Sacrum intermittendum est.

Aduerte 5. excommunicatum licitè posse concioni interesse, & consequenter posse alios quoad hoc cum illo communicare. Imò ex multorum sententia, si non toleratus ingrediatur locum vbi fit lectio publica, nec lector tenetur lectionem omittere, nec auditores inde discedere. Quod ego ægrè admiserim, nisi fortè excommunicatus esset hæreticus, & ageretur de fidei controuersis, quarum tractatio ipsi verisimiliter esset profutura.

Aduerte 6. excommunicatum toleratum posse concionari, si alii id postulent; eum tamen non posse propria sponte ad hoc se ingerere. Verùm quamuis

uis

uis peccet se ingerendo, non incurrit irregularitatem, quia non facit actum ordinis.

Quartus effectus est, privare Ecclesiastica sepultura, quod verum est etiam si excommunicatus poenitens decesserit, & quantum est ex se, absolutionem procurauerit. Qui tamen iam mortuus debet absolui, ut in loco sacro sepeliatur.

Nota eos qui excommunicatum non toleratum, in loco sacro temeraria audacia sepelire præsumunt, incurrere excommunicationem, a qua nequeunt absolui, donec arbitrio Episcopi parti satisfecerint. Corpus vero debet extrahi, & in locum prophanum proiici, nisi forte illius ossa ab aliis discerni nequeant. Locus autem in quo sepultum erat, debet reconciliari.

Dico 1. non toleratum, nam etsi peccatum sit grave, in loco sacro sepelire excommunicatum toleratum, quando constat eum mortuum impoenitentem, non tamen poenæ prædictæ incurruntur, etiam si sepeliatur hæreticus, modo non sit denunciatus.

Si tamen sit hæreticus denunciatus, seu vitandus, sepelientes non possunt absolui excommunicatione, nisi propriis manibus illius ossa exhumata abiciant. Et locus ille specialis, & adequatus est quo corpus extrahitur; nunquam potest reconciliari, adeoque semper sepultura carere debet.

Dico 2. temeraria audacia quibus verbis excusantur non modo qui inuincibili iuris, vel facti ignorantia laborant, sed etiam qui ex ignorantia vincibili, & culpabili, agunt contra statutum: modo talis ignorantia non sit affectata.

Est autem difficultas, quinam in iure intelligantur per sepelientes, qui prædictam censuram incurrunt. Nonnulli putant eos tantum intelligi, qui propriis manibus cadaver terræ mandant; alii præterea comprehendunt mandantes, non impediētes, eosque qui funus comitantur. Verum probabilius, ni fallor, alii dicunt, non modo corpus sepelien-

pellentes, sed etiam sepeliri mandantes incurrere maiorem excommunicationem, alios verò nequaquam.

At unde tamen qui funus comitantur ad sepulturam, incurrunt minorem excommunicationem, ob participationem cum non tolerato. Quamvis autem aliqui existiment, eam quoque incurri a sepelientibus, & mandantibus, probabilius est quoad illos, minorem hanc excommunicationem, in maiorem, quam incurrunt, fuisse commutatam.

ARTICVLVS III.

De quinto, & sexto effectu excommunicationis.

Quintus effectus est, reddere excommunicatum inhabilem ad beneficia Ecclesiastica. Quo fit ut non modo collatio beneficii ipsi facta, sed etiam illius electio, vel presentatio, & confirmatio sint invalida. Item ut neque per resignationem, neque per commutationem, beneficium valide obtinere possit.

Hoc autem habet locum 1. siue excommunicatus sit vitandus, siue non 2. etsi excommunicatus ignoret se censura ligatum; quia ignorantia non reddit habilem, nisi à culpa excuset. Non tamen istam inhabilitatem contrahit, qui à parte rei non est excommunicatus, esto sententia excommunicationis secundum allegata, & probata in eum lata fuerit. Quia pena illa non imponitur excommunicationi putatæ, sed veræ.

Nota 1. ex parte conferentis validam esse collationem beneficii, non excommunicato factam. etsi postea ille sit excommunicatus, quando beneficium acceptat. Verùm cum excommunicatus nullum ius vel ad beneficium, vel in beneficio acquirere possit, talis acceptatio, meo iudicio, non est

est valida, adeoque obienta absolutione reuocari debet.

Nota 2. ex aliquorum sententia, collationem beneficii excommunicato factam postea per solam absolutionem ab excommunicatione reualidari; ita ut si absolutus beneficium acceptet, valeat acceptatio sine noua collatione. Verum cum iura eiusmodi collationem irritent, perinde est ac si nunquam facta esset, adeoque necessario renouari debet.

Nota 3. eum qui post beneficium legitime adeptus, labitur in excommunicationem, non eo ipso excidere titulo, & possessione talis beneficii. Imò ut sic, non priuari ipso iure fructibus illius, adeoque non teneri ante sententiam eam se abdicare, ut Theologi communiter tradunt.

Dico *ut sic*, in quantum scilicet præcisè est excommunicatus, nam si præterea officium non persoluit per se, vel per alium, certum est eum hoc titulo, teneri ad restitutionem fructuum, sicut quemlibet alium. Quod verum puto, etsi per ipsum non stet quin absoluaatur, nisi forte quando absolutio per summam iniustitiam ei denegatur.

Vnde existimo canonicum excommunicatum, qui ob prohibitionem Ecclesie choro non assistit, non habere ius recipiendi distributiones, quamuis per ipsum non stet, quin ab excommunicatione absoluaatur. Quin addo, si canonicus sit denunciatus, & vitandus, eum non lucrari distributiones, etsi choro intersit: & similiter capellanum non toleratum, Missas celebrantem, non posse percipere partem stipendii quæ respondet sacrificio, ut offertur in persona Ecclesie, & habet effectum ex meritis illius.

Nota 4. licet excommunicatus non priuetur ipso iure fructibus beneficii, illis tamen per sententiam priuari posse nisi resipiscat, imò & ipso beneficio. Quod si postea constet, excommunicationem fuisse iniustam defectu causæ, poterit excommunicatus in foro

foro externo, repetere fructus quibus priuatus fuit, idque vel ab iis quibus applicati fuerunt, vel ab ipso iudice à quo iniuste damnatus fuit.

Si verò iudex bona fide, secundum allegata, & probata iudicauit, ille non tenetur in foro conscientiz ad restitutionem fructum, vel ad interesse damni inde sequuti. Tenentur tamen falsi testes, qui per iustitiam fuerunt causa damni.

Nota 5. ex communi sententia, collationem pensionis clericalis factam excommunicato, inuvalidam esse. Quod puto debere intelligi de pensione merè spiritali, quæ scilicet datur clerico propter officium spirituale, v. c. Coadiutori Episcopi, aut Parochi, & similibus. Hæc tamen sententia non caret difficultate, cum nullo iure probetur, & aliunde quod afferatur de beneficiis, ad has, pensiones extendi non debeat; cum propriè non sint beneficia.

Vnde si agatur de pensione mixta, quæ nimirum et si detur clerico, non tamen propter officium spirituale, qualis est illa quæ datur in sustentationem, Parocho seni beneficium resignanti, adhuc probabilius est, excommunicatum eiusmodi pensionis capacem esse.

Quod verò attinet ad pensionem merè laicam seu temporalem, quæ etiam laico propter aliquod temporale obsequium dari solet, dubitari merito non potest, quin excommunicatus illius sit capax.

Sextus effectus est, priuari omni externa iurisdictione Ecclesiastica: ita quidem vt si excommunicatus sit vitandus, nullus eiusmodi actus ab eo validè fiat, nisi fortè in locis vbi illius excommunicatio ignoratur. Ibi enim verisimile est Ecclesiam, boni publici causa, defectum iurisdictionis in eo supplere: si tamen sit toleratus, actus iurisdictionis ab eo facti valeant, quamdiu contra illum non excipitur; esto prauiter peccet contra prohibitionem Ecclesiæ, sua potestate vtendo, nisi id fiat in favorem aliorum, & ab iis requisitus.

Hinc Episcopus excommunicatus inualidè excommunicat, beneficium confert, dat facultatem absol- uendi a peccatis, &c. si non sit toleratus. Imo tunc prædicta ab illius Vicario Generali validè præstari nequeunt, quia censetur eadem persona. At si toleratus est hæc omnia validè præstat, nisi contra illum excipiatur.

Quod addo, quia etsi possimus cum toleratis communicare, eorumque iurisdictionem admittere, sicque eorum actus valere debeant, non tamen ad hoc tenemur. Vnde si Superior excommunicatus velit te excommunicare, potes contra eum excipere, ob excommunicationem qua ligatus est, & eatenus illum tanquam illegitimum iudicem repellere. Verùm vt tua hæc exceptio valeat, teneris exprimere speciem excommunicationis, & autorem à quo lata est, itemque intra octo dies eam probare.

Similiter cùm electio sit actus iurisdictionis, si nõ tolerati aliquem eligunt ad beneficium, talis electio irrita est, & nullius valoris. Nisi excipias electionem summi Pontificis, quam etsi à Cardinalibus excommunicatis factam, valere iura statuunt.

Quòd si cum electoribus aliquis non toleratus conueniat, suffragij illius ratio nulla habenda est. Si autem electores eum sponte admittunt, talis electio vel ex se irrita est, vel certè à confirmatore reici, & irritari potest.

Verùm si tolerati ad electionem concurrant, ea ex se valida est: ille tamen ad quem spectat electionem confirmare, potest si velit, contra eos excipere, & electionem ab iis factam non admittere.

Rursus etsi præsentatio facta à non tolerato, nullum tribuat ius ad beneficium, si tamen Episcopus præsentato tale beneficium conferat, valida est collatio. Quòd si collator vitium præsentationis ignorabat, potest si velit, cognita veritate, collationem rescindere.

Si vero præsentās est toleratus, collatio valida est, & li-

licita Potest tamen Episcopus eiusmodi praesentationem non admittere. Quia etsi possumus cum toleratis communicare, non tamen tenemur.

Parochus excommunicatus siue toleratus, siue nō. valide assistit matrimonio, si non repellatur; quia non assistit vt iurisdictionem exercens, sed vt testis. Valide etiam, si sit toleratus dat alteri licentiam assistendi, secus si non sit toleratus, quia talem licentiam concedere est actus iurisdictionis.

ARTICVLVS IV.

De septimo effectu excommunicationis.

SEPTIMVS effectus est priuare excommunicatum fidelium conuersatione. Quod ita intelligitur vt excommunicatus etiam toleratus, peccet propria sponte, & sine necessitate communicando cum aliis. vt liceat fidelibus communicare ciuiliternon excommunicato tolerato, non autem cum viuendo.

Nota 1. excommunicatum communicantem cum fidelibus in actionibus humanis plerumque nō nisi mortaliter peccare. Idem dic de fideli qui quoad diuinitatem communicat cum non tolerato. Qui tamen frequenter cum illo conuersatur, extra casus permittitur, videtur reus peccati mortalis: quamuis adhuc qui non nisi venialis eum damnent, per se loquendo, secluso contemptu, & scandalo.

Nota 2. conuersantem cum excommunicato vitando, incurrere minorem excommunicationem: imō peccare mortaliter, & maiorem excommunicationem incurrere, quando communicat in crimine criminoso. Id est quando scienter, & notabiliter participat in crimine, propter quod aliquis fuit excommunicatus, & denunciatus, vt si det illi consilium non reuocandi, non dimittendi concubinam, &c.

Nota 3. prohibitū esse communicare cum excommunicato vitando in casibus hoc versu cōprehensis.

Os, orare, vale communio, mensa negatur.

Per, *os*, intelligitur quæcunque allocutio siue voce, siue scripto, siue nutibus facta: intelliguntur etiam oscula, amplexus, & alia signa amicitia.

Per, *orare* intelligitur oratio, quæ illicita est facta cum excommunicato vitando.

Per, *vale*, intelligitur omnis honorifica salutatio, siue fiat verbis, siue aperiendo caput, siue assurgendo, modisque similibus. Non tamen videtur illicitum ista exhibere personis in alto gradu constitutis, ut damnum aliquod caueatur. Quod autem dicunt aliqui, licitum esse vitandum salutantem resalutare, eique scribenti rescribere, non placet, cum propter excommunicationem, merito huiusmodi obsequiis priuatus sit.

Per particulam, *communio* intelligitur communicatio in habitatione, in negotiis, &c. Unde non licet per modum societatis, dormire in eodem lecto cum non tolerato, secus si id fiat præter intentionem, ut contingere potest in diuersis. Non etiam licet contractum inire cum excommunicato vitando; contractus tamen cum eo initus valet. Unde patet posse excommunicatum validè emere, aut vendere, donare, matrimonium inire, profiteri in Religione approbata, &c.

Nota 1. quod etsi alter contrahens possit contra excommunicatum, cum quo contraxit, agere, non tamen vice versa potest excommunicatus, antequam absoluetur, agere in iudicio, contra non excommunicatum, eumque cogere ut sit contractui.

Dico, *in iudicio*, nam vitandus potest priuatim petere suum debitum, & debitor tenetur ex iure natura, debitum ei soluere, tempore præfixo, ut fert probabilior sententia. Quamuis autem probabile sit solutionem differri posse, donec creditor Ecclesie reconcilietur, nullo modo admittendum est, quod debitor excommunicatus non teneatur satisfacere, donec absolutus sit.

Nota 2.

Nota 2. testamentum non posse licite fieri ab excommunicato, nisi ex causa necessaria, & etiam aliis illicitum esse interesse confectioni testamenti, saltem si condens fit vitandus: si tamen ab eo fiat, valere, nisi in paucis casibus à iure exceptis.

Quidam tamen purant non esse illicitum, quod sperans, se heredem instituendum, vitandum inducat ad condendum testamentum, & consequenter quod Notarius, & testes ab eodem requisiti, intersint. Verum si quis excommunicatum vitandum heredem instituat, valida est institutio, etsi testator peccet, ob generalem prohibitionem communicandi cum excommunicato, non tolerato.

Per particulam, *mensa*, intelligitur communicatio cibi & potus, quæ fit in eadem mensa communi, per modum societatis: secus si per accidens contingat aliquem eidem mensæ accumbere cum excommunicato, ut fieri potest in diuerforiis.

Quæres in quibus casibus liceat communicare cum excommunicato vitando. Respondeo id licere in casibus hoc versu comprehensis.

Vtile, lex humile res ignorata necesse.

Per, *utile* intelligitur vitas participantis cum excommunicato, aut ipsius excommunicati. Vnde licet alterius defectu, petere consilium à confessorio excommunicato, medicinam à medico, &c. Licet etiam suasionibus, concionibus, aliisque modis excommunicatum inducere ad resipiscentiam.

Per particulam, *lex*, intelligitur lex connubialis, seu matrimonium, & sensus est, uxorem posse eodem modo se gerere ac antea, cum marito excommunicato, & vice versa maritum cum uxore excommunicata, quoad habitationem, thorum, mensam, admittationem domus &c.

Nonnulli limitant, nisi scienter matrimonium contrahatur cum excommunicato. Verum alii hanc limitationem reiiciunt, qui proinde existimant fornicationem, quæ excommunicato scienter nupsit non

priuari iure petendi debitum; esto sic contrahendo peccauerit, & in minorem excommunicationem incurrit.

Valet tamen limitatio; si lata sit excommunicatio in alterum coniugum, vel in vtrumque, ratione matrimonii malè celebrati, tunc enim alter non potest communicare cum altero in prædictis. Et similiter si vnus coniugum sit excommunicatus ob aliquod crimen, non potest alter cum eo communicare in tali crimine, & secus faciens in maiorem excommunicationem incurrit, ex antedictis.

Per *humile*, intelligitur obsequium à subditis, & inferioribus suis dominis, & superioribus præstitum. Quamuis enim isti sint excommunicati, & vitandi, possunt eorum subditi cum iis communicare, quoad officia ordinaria, quæ aliis iis exhibere solent.

Vade in primis possunt filii, & filia conuersari cum patre, & matre excommunicatis. Nomine autem filiorum intelliguntur non modo carnales, siue legitimi sint, siue illegitimi, sed etiam adoprui non modo qui sunt in primo gradu, sed etiam qui in vltioribus, nimirum nepotes, pronepotes, &c. Item qui ob affinitatem tenent quodammodo locum filiorum, vt gener, nurus, priuignus, priuigna. Nec tantum filii qui sunt sub potestate patris, sed etiam emancipati.

Possunt etiam serui, & famuli, siue vrbanus, siue rustici communicare cum suis dominis, vel heris excommunicatis, idque plus, aut minus, iuxta rationem suæ obligationis. Quod aliqui limitant, modo ante excommunicationem contractâ subditi fuerint. Alii tamen probabilius hanc limitationem reiciunt, præsertim quando famuli ex causa necessaria, vt plerumque fit, alicuius seruitio se addicunt.

Limitari præterea id posse videtur, ne prædictis liceat cum dominis excommunicatis communicare in diuinis. Verum eiusmodi limitatio non admittitur,

tur, quoad eam communicationem quam subditi
præstare solent. Vnde potest famulus dominum suum
ad Ecclesiam proficentem comitari: potest sacel-
lanus horas cum Episcopo recitare. &c.

Possunt rursus Religiosi conuersari cum suo supe-
riore excommunicato. In iis tamen quæ ad superio-
ritatem, & iurisdictionem spectant, illis obedire non
tenentur, sicut neque clerici Episcopis excommuni-
catis.

Nota, quod diximus de conuersatione filiorum, &
subditorum cum parentibus, & dominis excom-
municatis, a quæ dicendum de conuersatione paren-
tum, & dominorum cum filiis, & subditis excom-
municatis. Vnde possunt superiores communicare
cum subditis, tam quoad ea quæ ipsis præstare te-
nentur, quam quoad illa quæ ab ipsis recipere de-
bent.

Idem etiam extendi debet ad fratres, & conseruos,
ita scilicet vt frater cum fratre excommunicato possit
conuersari, saltem quando simul habitant, & seruus
cum seruo excommunicato. Excipienda tamen com-
municatio, quando ex ea crearetur alicui periculum
proprie subuersionis.

Per, *rem ignoratam* significatur eum qui cum igno-
rantia, aut inaduertentia inculpabili communicet
cum excommunicato vitando, non peccare, nec mi-
norem excommunicationem incurrere. Imo aliqui
probabiliter id extendunt ad ignorantiam culpabi-
lem, modo non sit affectata, quod tamen aliis non
probat.

Nota 1. quando dubito an aliquis sit excommuni-
catus, & denunciatus, me non posse illum vitare, quia
in dubio fauendum est possidenti suam famam. At
quando scio eum esse excommunicatum, & dubito
an sit denunciatus, possum quidem eum tanquam
excommunicatum vitare, sed ad id non teneor, per
se loquendo, seu secluso scandalo: quia adhuc possi-
det ius communicationis cum fidelibus.

Nota 2 me teneri cum vitare, quem constat esse denunciatum, siue ex publica fama, siue ex testimonio duorum vel trium hominum fide dignorum, siue ex confessione ipsius excommunicati id sciant. Non tamen sufficere videtur solius Parochi testimonium, nisi simul ostendat litteras denunciatorias.

Nota 3, in dubio iuris, neminem teneri se gerere vt excommunicatum, quando facta sufficienti inquisitione dubium non vincitur. Idem probabiliter dixerim in dubio facti, etsi aliqui aliter sentiant; quia tam in hoc, quam in illo dubio melior est conditio possidentis. Porro dicitur dubium iuris, quando dubitas, an propter delictum quod commisisti, excommunicatio sit lata; dubium verò facti, quando dubitas an commiseris delictum, propter quod lata est excommunicatio.

Per, *neesse*, intelligitur necessitas quæ participantem cum excommunicato vitando, excusat à peccato, siue ea sit spiritualis, siue temporalis; siue sit extrema, siue tantum grauis; siue at ipsius excommunicati, siue cum eo participantis.

Vnde potes dare eleemosynam excommunicato vitando, si sit in graui necessitate constitutus, & ab eo petere, si graui ter indigeat. Potes etiam prosequi societatem cum excommunicato vitando, quam antè cum eo contraxeras.

Nota, si feratur excommunicatio contra participantes cū excommunicato, ea non ligari illos qui ob causas prædictas, ex iuris concessione, cum iis communicant. Quod aliqui limitant, nisi communicatio cum illo specialiter prohibeatur, etiam in dictis casibus; tunc enim non licet cum eo communicare in casibus iure humano, aut consuetudine concessis, sed in iis tantum quibus ex iure naturali aut diuino tenentur aliqui communicare cum excommunicato, vt filius cum patre, &c.

Verum vt ista limitatio admittenda sit, oportet prohibitionem illam fieri vel à iudice, qui eiusmodi

com-

communicationem concessit, vel ab habente eandem, aut maiorem potestatem. Cum perspicuum sit iudicem minorem, non posse validè restringere concessionem à maiori factam.

ARTICVLVS V.

De aliis effectibus excommunicationis.

OCTAVVS effectus est, privare excommunicatum omni communicatione forensi, ita scilicet ut nequeat esse Iudex, Procurator, Actor, aut Testis etiam in civilibus. Verùm ad pleniorum horum intelligentiam.

Nota 1. acta per iudicem Ecclesiasticum, non toleratum, non modò esse illicita, sed etiam invalida; cum privatus sit iurisdictione. Licet autem aliqui dicant, gesta per iudicem secularem vitandam, non esse invalida, alii tamen oppositum communiter statuerunt, à quorum sententia recedendum non est. Loquor de iudice non tolerato, nam acta tolerati sunt tantum illicita; cum iurisdictione non privetur.

Nota 2. multos existimare, excommunicato non tolerato invalidè conferri officium aliquod sacularitatis, aut dignitatem habentem annexam iurisdictionem. Alii tamen, defectu certi iuris, docent probabiliter eiusmodi collationem esse validam, esto sit illicita, & irritari possit.

Imò autores prioris sententiæ fatentur, collationem illam validè fieri, quando aliquis ex testamento, vel ab intestato acquirit aliquod dominium temporale, adiunctam habens dignitatem & iurisdictionem. Quia accessorium sequitur principale, quod ab excommunicato validè acquiri potest. Et à fortiori valet collatio alicuius dignitatis, vel officii non habentis annexam iurisdictionem, ut gradus Doctoratus, officii Tabellionis, Procuratoris, &c. ut omnes concedunt.

Nota 3. etsi quilibet ex iure naturæ possit se defendere, adeoque ea agere quæ ad propriam defensionem spectant, non tamen posse excommunicatum esse aliàs actorem in iudicio, siue seculari, siue Ecclesiastico. Quod si agit dum vitandus est, à iudice repelli debet: si tamen non repellitur, gesta per illum in iudicio valida censei debent, cum nullo iure irritentur.

Verùm potest aduersarius contra excommunicatum excipere, etiam si toleratus sit; & iudex tenetur exceptionem admittere, adeoque excommunicatū repellere, modo excommunicatio publica sit, aut excipiens eam intra octo dies aperte probet.

Nota 4. acta publica Tabellionis vitandi non valere in foro externo, si tamen fiant ex consensu partiū, quibus nota est excommunicatio, probabile est ea valere in foro conscientie. Imò si Tabellio toleratus sit, illius acta, ob exceptionem sufficienter probatam, à iudice rescindi debent.

Nota 5. excommunicatum licitè posse ferre testimonium, si sit toleratus, modo sua sponte non se ingerat: at non si vitandus sit, nisi in causa fidei, & ut quidam volunt, etiam matrimonii, quia est res valde fauorabilis. Illius tamen testimonium valet, si non repellitur.

Nota 6. similiter non posse vitandum licitè exercere officium Advocati, Procuratoris, Tutoris, &c. quandiu tamen non repellitur, gesta per illum valent.

Notus effectus est irritare rescripta Apostolica: verùm hic effectus vix hodie est in vñ, quia in eiusmodi rescriptis apponi solet absolutio ab omnibus censuris, ad effectum valoris ipsorum.

Vbi nota 1. litteras & facultates quæ obtinentur ab Episcopis, vel à superioribus temporalibus, non esse irritas, e si obtinens sit excommunicatus. Quia iura loquuntur tantum de rescriptis Pontificiis; & cum materia sit odiosa, quod de illis dicitur

tar, ad a
Nota 2
rescripta
ita esse,
censuris:
hæresim
forduit: q
lias causa

Verum
nec proba
mento N
neratim a
latur exc
particula
concessio
sine ampl

Decim
num in ex
descat, v
di, tanqu
Ecclesie.
post annu
refis, con
macie de
si per aliu
damnari

Hacten
quæ i
cum non
ligatum p
llione ad
Vnde h
taliter, p

tar, ad alia non est extendendum.

Nota 2. ex aliquorum sententia, in certis casibus rescripta Pontificia ab excommunicato obtenta irrita esse, etsi in iis apponatur absolutio ab omnibus censuris: vt si obtinens sit excommunicatus propter hæresim, aut si per annum in excommunicatione infortuit: quia tunc de hæresi suspectus est; vel ob alias causas quas quisque fingere potest.

Verum alii eiusmodi limitationes non afferunt, nec probandas puto, cum careant sufficienti fundamento. Nam præterquam quod absolutio datur generaliter ab omnibus censuris, cum per eam non tollatur excommunicatio, sed tantum pro tali effectu particulari suspendatur, nulla ratio est cur talem concessionem restringamus; maxime cum fauores sint ampliandi.

Decimus effectus est, vt si excommunicatus per annum in excommunicatione perseueret, seu infortuit, vt iura loquuntur, possit contra illum procedi, tanquam de hæresi suspectum: quia auctoritatem Ecclesiæ, & sacramenta contemnere videtur. Vnde si post annum citatus, ad purgandam suspicionem hæresis, comparere renuit, non modo ratione contumaciæ declarari potest excommunicatus, sed etiam si per alium annum purgare se negligat, vt hæreticus damnari potest.

ARTICVLVS VI.

De minori excommunicatione.

Hætenus de maiori excommunicatione: minor quæ incurritur participando in rebus prohibitis cum non tolerato, est, *Censura Ecclesiastica priuans ea ligatum passiuam Sacramentorum participatione, & electione ad beneficia Ecclesiastica.*

Vnde hac excommunicatione affectus peccat mortaliter, per se loquendo, sumendo Sacramentum aliquod,

H 6

aliquod,

aliquod, antequam abfoluatur: quia violat cenfuram in re graui. Dico, Sacramentum aliquod, quia perceptio cuiuscunque Sacramenti, minori excommunicatione ligato, grauiter prohibita est.

Et idem dicendum de sacerdote excommunicationis conscio, qui ei Sacramentum aliquod administrat, nisi ob grauem causam excusetur. Quia conferendo Sacramentum ei, qui nequit illud sine sacrilegio suscipere, sumptioni sacrilegæ cooperatur, adeoque grauiter peccat contra proprium officium. Et quamuis suscipiens non sit denunciatus, adeoque & administrans non peccet contra præceptum Ecclesiæ; peccat tamen grauiter contra præceptum naturale diuinum, quo sancta sanctè tractare tenetur.

An autem minori excommunicatione innodatus peccet Sacramentum aliquod administrando, dubitari potest. Respondent aliqui peccare mortaliter, alii tantum venialiter, sed neutrum nobis probatur, quia cum iura non priuent eiusmodi excommunicationem administratione actiua Sacramentorum, nulla est ratio cur ea administrare nequeat sine peccato, nisi aliud obftet.

Quod addo, quia etsi illa excommunicatio, cum non sit peccatum, sed poena peccati, legitimam administrationem non impediat; eam tamen peccatum mortale impedit. Quare si talis excommunicatio ob peccatum mortale incurfa sit, ea ligatus tenetur contritionis actum elicere, antequam Sacramentum aliquod administret.

Ex dictis etiam intelligitur, peccare mortaliter tam excommunicatum, qui recipit dignitatem aliquam, aut beneficium Ecclesiasticum, quam eligentem, seu conferentem. Verum electio non est ipso iure irrita, sed per sententiam irritanda, nisi forte quando censura ab Electoribus ignorabatur tunc enim putant aliqui electionem non esse irritandam: quamuis secus sentiant, quando ignorantia se tenebat

tenebat ex parte excommunicati electi.


Dico 1. qui recipit, nam electione, seu collatione a-
ctiva non priuatur, quia hæc spectat ad iurisdictionem, cuius usus ea excommunicatione non impedi-
tur. Dico 2. dignitatem, aut beneficium Ecclesiasticum,
quia si agatur de officio aliquo, aut dignitate tem-
porali, electio ad illam nullo iure prohibetur, adeo-
que nec irritari debet.

Nota 1. non modo Episcopum, & Parochum, sed et-
iam quemcunque delegatum ad audiendas confes-
siones posse, ex communi sententiâ, absoluerè à mi-
nori excommunicatione. Quod autem dicunt aliqui
etiam simplicem Sacerdotem posse ab illa absolue-
re, modo non sit coniuncta cum peccato mortali,
non satis tutum videtur.

Nota 2. absolutionem ab excommunicatione præ-
dicta sufficienter dari verbis eam exprimentibus.
Vnde distinguitur ab absolutione à maiori excom-
municatione, quod ad illam seruandæ sunt in foro
externo, quædam cæremoniæ in iure præscriptæ, nisi
in desuetudinem omnino abierint. Nam innodatus
maiori excommunicatione, super humeros nudatos
debet leuiter cædi virgîs, dum recitatur aliquis Psal-
mus Pœnitentialis. Deinde dicto Gloria Patri. Kyrie
eleison. Pater noster, &c. absoluens addit: Oremus.

Deus cui proprium est misereri semper & parcere sus-
cipe deprecationem nostram & hunc famulum tuum quæ
excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tua
pietatis absoluat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.
Tum verò absolutionis verba sic profert.

Autoritate qua fungor, absoluo te à vinculo excommu-
nicationis quod incurristi ob hanc, vel illam causam, &
restituo te Sacramentis Ecclesie, & communioni fidelium,
In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.



CAPVT III.

D'E EXCOMMUNICATIONIBVS
in particulari.

ARTICVLVS I.

De excommunicationibus Papæ in Decreto re-
seruatis.

EX communi sententia, vna tantum excom-
municatio Papæ reseruata in Decreto con-
tinetur, ea nimirum quæ spectat ad per-
cussores clericorum, aut monachorum,
hisque verbis continetur. *Si quis suadente
diabolo huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in cleri-
cum vel monachum violentas manus iniecerit, anathema-
tis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præ-
umat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostoli-
co conspectui presentetur, & eius mandatum suscipiat.*
Ita refertur 14. q. 4. c. Si quis suadente, ex Innocent. II.
in Concil. Later.

Ad horum autem intelligentiam, multa obseruan-
da sint, 1. particulam, *si quis*, ad omnes fideles censu-
ræ capaces cuiuscunque sint conditionis, sexus, vel
ætatis extendi, ita vt excommunicationem Papæ re-
seruatam incurrant, si violentas manus in clericum
vel monachum suadente diabolo, seu iniuste iniici-
ant.

Obseruandum 2 nomine clerici intelligi non mo-
do illum qui in sacris, vel in minoribus ordinibus
constitutus est, sed eum etiam qui tantum prima
tonsura est initiatus. Vt autem hæc censura incur-
ratur, necesse est vt clericum priuilegium canonis
non amiserit.

Qua-

Quæres quomodo hoc priuilegium amittatur. Respondeo amitti multipliciter: si clericus bigamiam contrahat, quod fit quando cum duabus virginibus validè matrimonium iniuit, & consummauit, aut cum vnica vidua, vel corrupta. Constat enim ex c. vnico de *Bigamis in 6* bigamos omni priuilegio clericali priuatos esse, & coercitioni fori secularis addictos, vsque sub anathemate prohibitum, deferre tonsuram, vel habitum clericalem.

Vnde patet hoc non habere locum in clericis, qui in Sacris ordinibus constituti, tale matrimonium ineunt, cum ob nullitatem illius, verè bigami esse non possunt, vt constat ex c. *nuper*, ex c. *à nobis*, de *bigamis non ordinandis*. Quare eos percussione incidit in poenam canonis. Cum illis tamen dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum intentionis cum opere subsecuto, vt habetur ex Innoc. III. locis proximè citatis.

Secundò hoc priuilegium amittunt clerici dimisso habitu, si se tyrannidi, & enormitati inuerecundè immiscerent, id est, qui publicè rapinis, homicidiis, aliisque eiusmodi criminibus se polluunt. Ita sumitur ex c. *cum non ab homine*, de *sententia excommunicationis*, vbi Clemens III. respondet occisores eiusmodi clericorum, aut presbyterorum, in odium clericalis excessus & terrorem, atque correctionem similibus, canone lata sententiæ minimè coerceri: iniungendam tamen eis poenitentiam competentem, aliquantulum asperiores, quàm si in laicos talia commisissent.

His consentanea traduntur infra c. *Perpendimus*, vbi idem Pontifex interrogatus, quid sentiendum esset de interfectores cuiusdam Sacerdotis, qui cum se fingeret filium Regis, armis acceptis *seditionem fecit & guerram*, responderet sibi non videri, quod eius interfectores, ad obtinendam absolutionem, sedem Apostolicam adire teneantur; sed iuxta merita personarum, eis competentem poenitentiam iniungendam.

Tertio hoc privilegio priuantur clerici, quando relicto habitu clericali, arma militaria gestare nullatenus erubescunt, si à prælato suo ter moniti, noluerint arma deponere. Hoc patet manifeste ex c. in audientia eodem titulo, vbi quaritur, temeraria manu iniectioe facta in clericum, excommunicatus quis ipso iure notatur: & respondet Clemens III. His verbis. *Huiusmodi clerici si à Prælati suis tertio commoniti militaria noluerint arma deponere, de privilegio clericorum subsidium aliquod habere non debent.*

Quarto privilegium canonis amittunt clerici, qui artem ignominiosam mimi, aut ludionis exercent, vt constat ex cap. vnico, de vita & honestate clericorum in 6. his verbis: *Clerici qui clericali ordinis dignitati non modicum detrahentes se iocularis, seu galliardos faciunt aut bufones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso iure: si autem tempore breuiori, & tertio moniti non respuerint, careant omni privilegio clericali.* Vbi notandum est hoc privilegio priuari, non modo clericos qui anno integro artem illam exercuerunt, sed illos etiam qui breuiori tempore, si ter moniti (à proprio scilicet Episcopo) eam non abiecerunt.

Quinto eadem pœna mulstantur clerici, qui publice artem lanionis vel carponis exercent, cum aliquo tamen discrimine, de quo in Clement. c. de vita, & honestate clericorum, vbi statuitur, vt qui per Diocœsanos moniti à tali officio non abstinent, aut illud reassumunt, si sint coniugati, privilegio clericali omnino priuentur, quoad res scilicet, & personas: si vero non sint coniugati, in rebus tantum, quamdiu habitum retinent, eo autem dimisso, etiam in personis, donec à tali arte destiterint.

Cæterum clerici dicuntur priuari clericali privilegio in rebus, quando eorum bonis tributa imponi possunt; at quoad personas, possunt priuari privilegio clericali dupliciter, primò ita vt priuentur tantum
priui-

privilegio canonis adeoque eos percutiens non incidat in excommunicationem latam in *c. si quis suaverere*, de quo agimus. Secundò ita ut priuilegium etiam privilegio fori, adeo ut ad forum seculare trahi possint.

Secundò idem priuilegium amittitur per realem degradationem, ut liquet ex *c. degradatio, de pœnis in 6.* tibi Episcopo iniungitur, ut cum vltima veste clericum, quem solemniter degradat, exuit, his aut similibus verbis utatur. *Autoritate Dei omnipotentis, Patris & Filij, & Spiritus sancti ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali.* Hoc autem procedit de reali & solemnè degradatione, nam verbalis tantum depositio eiusmodi pœnam non infert, ac multo minus suspensio, vel excommunicatio. Quo fit ut clericum verbaliter tantum depositum, aut suspensum, aut excommunicatum grauiter percutiens, in centuram canonis incurrat.

Observandum 3. sub nomine monachi comprehenditur generatim omnes Religiosos, clericos, & conuersos, professos, & nouitios: itemque Moniales non modo choro deputatas, sed etiam conuersas; nec tantum profensas, sed etiam nouitias. Dubitatur autem an eo priuilegio gaudeant Eremitæ, qui nulli Regularium Ordini addicti sunt: ad quod respondemus cum distinctione. Nam qui ex voto obedientiæ Episcopo sunt subditi, & ab illo alicui loco sacro deputati, tali priuilegio gaudent ex communi sententia: non autem vagi, qui nullam eiusmodi obligationem susceperunt; cum nulla ratio sit, cur inter personas sacras, & Ecclesiasticas locum habere debeant.

Observandum 4. per manus violentas intelligi, quamcunque violentiam iniuriosam clericis, aut monachis illatam, quod plerisque modis contingere potest: ut si quis eiusmodi personas grauiter verberet manu, baculo, pugione, &c. si calcibus imperat,

si vi trahat, aut detineat, iitue aliquid per vim eripiat, modisue similibus. Vnde ex Innoc. III. c. *nuper, de sententia excommunicationis*, laici excommunicantur, qui clericos sine corporis latione, in custodia detinent publica, vel priuata, aut detruunt in vincula. Non sufficit autem ad incurrendam excommunicationem, verba contumeliosa in clericum iactare, nisi accedat actio aliqua exterior, qua ipsius personæ vis inferatur, aut quæ sit illi valide iniuriosa; vt si quis in faciem illius spueret, &c.

Obseruandum 5. hanc pœnam extendi ad mandantes percussione, si effectus sequatur, & ad ratam habentes percussione, si eorum nomine facta sit, quia hæc ratio habitio retrotrahitur, & æquiualeat mandato: item ad consilium dantes, vel auxilium præstantes & ad non impediens, quando impedire possunt, & ex iustitia impedire tenentur.

Obseruandum 6. varios recenseri casus, in quibus percutien clericum non incurrit excommunicationem, vt si ob iustam defensionem vitæ, honoris, & bonorum eum percutiat, quomodo excusatur femina clericum percutiens, qui vim ei inferre tentat; aut si cum propria vxore, matre, sorore peccantem fuste abigat; si correctionis vel disciplina causa eum percutiat, qua ratione superiores, parentes, & magistri excusantur, modo debitum moderamen in correctione seruent. si ex ioco, aut etiam ex subita indignatione, quæ merito à culpa mortali excusari possit.

Non tamen excusatur clericum consentientem percutiens, vt patet ex c. *contingit, de sententia excommunicationis* vbi refertur, contingere interdum vt clerici, si quem offendant, & satisfacere velint offenso, secundum morem patriæ quem inter se laici obseruant, corpora sua sponte supponant triginta, aut pluribus, vel paucioribus percussioneibus sustinuit, & talem percussione, etsi non sit violenta, tamen iniuriosam videri, non quidem clerico, quia volenti

non

non fit iniuria, sed ordini clericali. in cuius maxime fauorem canon, de quo hic agimus, fuit promulgatus.

Quod verò spectat ad clericum, qui in sui percussione consentit, ille quidem de facto non incurrit excommunicationem, sed tantum statuitur vt ab Episcopo excommunicetur, si contra illius prohibitionem se sponte subiecerit, interimque provideatur, vt clericus iniuriam passus, sine iniuria clericali satisfaciatur competenter, quatenus inter eos valeat pax rationabiliter reformari.

Si tamen clericus seipsum grauius ex ira, aut desperatione, aliaue simili causa percutiat, non puto eum ab excommunicatione posse excusari, cum reuera clericum, suadente diabolo, lædat, & grauem ordini clericali iniuriam inferat. Verum pœnitentiæ causa seipsum moderatè flagellare, aut flagellandum alteri subiicere, id omnium Catholicorum consensu, licitum est, imò & Deo valde gratum.

Observandum 7. etsi hæc excommunicatio, per se loquendo, summo Pontifici sit reseruata, alios tamen ab ea posse absoluerè, quando percussio est leuis, nempe Episcopum per se, vel per alium ad id delegatum, idemque Vicarium Generalem, & ab eo deputatum: quia quoad hoc est Ordinarius, sicut Episcopus, cum quo vnum tribunal constituit. Atque idem dicendum de Abbate, Guardiano, Priore, aliisque monasteriorum Superioribus supremis vt patet ex c. cum illorum, & c. canonica, de sententia excommunicationis. Quorum tamen priori statuitur, vt si claustralis aliquis in religiosam personam alterius claustrum manus iniecerit violentas, per Abbatem proprium, & eius qui passus est iniuriam, absoluat.

Dubium est autem, quamnam dicatur leuis percussio. *Respondeo* non dici leuem, quæ cum culpa tantum veniali coniuncta est, sed quæ etsi sit mortalis, ab enormi non parum distat. Vnde ex communi sententia, percussio quæ fit pugno, aut pede, regulariter non nisi leuis censetur, etsi ad mortale peringat.

Dico, *regulariter*, nam interdum ob circumstantias potest esse grauis, vt si Superior la datur, aut percussio coniuncta sit cum graui scandalo, aut cum magna sanguinis effusione aliisque circumstantiis quæ prudenter consideranda sunt, vt rectum de peccati grauitate, illiusque reseruatione iudicium ferri possit,

ARTICVLVS II.

De excommunicationibus Papa in Decretalibus reseruatis.

VARIÆ ex his libris afferri solent: *prima* sumitur ex *c. quarenti, de Officio, & potestate iudicis delegati*, quæ loco statuitur, vt delegatus à Papa si excommunicet illum qui rei iudicata parere contemnit, non solum intra quadrimestre tempus, quod ad soluendum debitum à lege reo conceditur, sed vsque ad integrum annum, iurisdictionem sibi commissam ad exequendam sententiam valeat exercere: vnde colligitur, si ita excommunicatus intra annum à delegato, qui eum excommunicauit, non absoluitur, illius excommunicationem non nisi à delegante, qui est summus Pontifex, tolli posse: eo quod iurisdicctio delegati post annum extinguitur.

Secunda sumitur ex *c. Ad falsariorum, de crimine falsi* vbi Innoc. III. falsantes litteras Apostolicas excommunicat cum suis fautoribus, his verbis. *Hos enim omnes falsarios litterarum nostrarum qui per se, vel alios vitium falsitatis exercent, cum fautoribus, & defensoribus suis anathematis vinculo decernimus innodatos: statuentes vt clerici qui falsarij fuerint deprehensi, omnibus officiis & beneficiis Ecclesiasticis perpetuo sint privati. Ita quod qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, seculari potestati tradantur, &c.* Addit Pontifex clericos qui litteris falsis vtuntur, officiis, & beneficiis Eccle-

Ecclesiasticis spoliandos, laicos vero tam diu manere excommunicatos, donec satisfaciant competenter. Verum in toto hoc capite nullum est verbum, ex quo constet: hanc excommunicationem esse Papæ reservatam; reservatur tamen in Bulla cœnæ, de qua postea.

Tertia sumitur ex eodem titulo c. *Dura saepe* & adijcitur vbi idem Pontifex præcipit Episcopis, vt generalem excommunicationis sententiam promulgent, quam per singulas parochias faciant frequentius innouari; quod si quis falsas litteras se habere cognoscit, intra 20. dies litteras illas aut destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit evadere, quam nisi in mortis articulo, sine ipsius mandato, à quoquam non vult relaxari.

Quarta refertur c. *conquesti*, de sententia excommunicata. vbi Clemens III. hoc statuit contra nonnullos, qui quasdam Ecclesias violenter confregerant, & spoliauerant. *Quoniam igitur grauia sunt, nec clausis debent oculis præteriri mandamus quatenus si est ita, memoratos sacrilegos excommunicatos nunciatis, & faciatis sicut excommunicatos arctius euitari, donec passis iniuriam congruè satisfaciant, & damna pro eis data resarciant, & cū litteris vestris, rei veritatem continentibus, Apostolico se conspectui representent.* Ex quibus verbis patet 1. hanc censuram esse latæ sententiæ, cū Pontifex præcipiat Episcopis, vt sacrilegos illos de quibus agit, denunciet excommunicatos. 2. eiusmodi excommunicationem non incurri ob solam effractionem Ecclesiæ, nec ob solam illius spoliationem, sed propter vtrumq; simul iunctum. 3. excommunicationem prædictam non nisi post denunciationem esse Papæ reservatam, adeoque antequam fiat denunciatio, posse ab Episcopo, imò & à quocunque Sacerdote, ad audiendas confessiones approbato, tolli.

Quinta habetur c. *Tua nos*, eodē titulo, vbi statuitur qui non solum eos in clericos temerarias manus iniiciunt, sed etiam incēdiarios, ex quo sunt per Ecclesiæ sen-

sen-

sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad fidem Apostolicam mittendos esse. Vbi nota i. hanc censuram ferri generatim contra incendiarios, adeoque siue loca sacra, siue domos prophanas incendant. 2. eam non nisi post denunciationem ab Episcopo factam, summo Pontifici reservatam esse.

Sexta sumitur ex *C. nuper* eodem tit. vbi statuitur, eum qui nominatim excommunicato scienter communicat in crimine criminoso, & consilium, auxilium, vel fauorem impendendo, quinque proinde ratione damnati criminis, videtur in eum delinquere qui damnauit, non nisi a damnante vel ab eius superiore absolui posse. Ex quo manifestum fit, communicantem eo modo cum excommunicato nominatim à Papa, non nisi à summo Pontifice, ab excommunicatione quam contraxit, absolui posse.

ARTICVLVS III.

De excommunicationibus in 6. Decretalium, & in Clementinis Papa reservatis.

MVLTA sunt etiam excommunicationes Romano Pontifici in 6. Decretalium reservatae. *Prima* est contra illos qui, sine licentia speciali summi Pontificis, aliquem Magnatem in Senatorem, Capitaneum, Patricium, aut Rectorem vrbis Romanæ eligunt, vt patet ex *c. Fundamenta, de electione, & electi potestate*. Verùm huius censuræ rarus est vsus, cùm talis electio à summo Pontifice fieri soleat.

Secunda colligitur ex *c. clericis de immunitate Ecclesiarum* vbi prohibetur clericis, ne de rebus suis, vel Ecclesiarum aliquid soluant laicis, sub quocunque colore mutui, subventionis, doni, vel alio quolibet absque licentia Apostolicæ sedis: & laicis ne quid tale à clericis exigant, vel recipiant. Inobedientes verò ipso facto excommunicantur, itemque iis auxilium, consilium, vel fauorem publicè, vel occultè, scien-

lenter dantes. Ibi etiam dēcernitur, vt à tali censu-
nemo absolui possit, absque sedis Apostolicæ au-
toritate, & licentia speciali, præterquam in mortis
iculo. Verùm authores communiter aduertunt,
quod excommunicationem, quoad clericos prædi-
cantes, fuisse reuocatam in Clementina 1. de
iurisdictione Ecclesiarum.

Tertia sumitur ex C. *felicitis, de panis*, vbi ipso facto
excommunicantur, qui Cardinalem hostiliter in-
iuriant, & si non percutiant, aut capiant; item per-
cussiones, aut capientes; ac præterea hæc fieri man-
dantur, aut consules; ac denique facientibus fa-
cientes, eo sue receprantes, aut scienter defendentes.
Additur præterea tam insecutorem, quàm alios tan-
tum mali participes, quamdiu in sua contumacia per-
sisterint, singulis diebus Dominicis & festiuis, pul-
satis campanis, & candelis accensis per omnes loci
Ecclesias, in quo tantum facinus fuerit atten-
tum nec non ciuitatum, & Diocesium vicinarum,
excommunicatos publicè denunciandos esse, nec
alio, quam à Romano Pontifice, posse absolui, nisi
in mortis articulo.

Quarta habetur C. *Quicumque, de sententia excommu-
nicationis*, vbi in primis excommunicantur, qui ex-
communicant, quod in Reges, Principes, Barones, aut quoscun-
que alios excommunicationis, suspensionis, seu in-
diti sententia fuerit promulgata, licentiam ali-
quid dederint offendendi in personis, vel rebus suis,
vel suorum, eos qui tales sententias protulerunt,
et quorum sunt occasione prolata, vel easdem sen-
tentias obseruantes, seu taliter excommunicatis com-
municare nolentes, nisi licentia illa sit re integra, id
est, ante executionem, reuocata, aut si grauamen in-
iuriam illatum est, nisi hæc intra dies octo sint resti-
tuta, aut satisfactio pro ipsis impensa. Secundo e-
iusmodi excommunicatio extenditur ad omnes,
qui prædicta licentia data vtuntur, vel proprio mo-
do ea exequuntur, ad quæ committenda Ponti-
fex

fex

lex licentiam dari vetat. Tertiò statuitur, vt qui in ea excommunicatione permanserint duorum mensium spatio, non possint ab ea, nisi per sedem Apostolicam, absolutionem obtinere.

Quinta sumitur ex c. eos qui, eodem tit. vbi statuitur 1. absolutum propter mortis periculum, vel alia de causa, ab eo à quo aliàs non poterat absolui, si cessante impedimento non se præsenteret cum commodè potest, ei à quo aliàs absolui debebat, in eandem sententiam reiacidere. Ex quo patet, quando censura summo Pontifici erat reseruata, quæ recurrit eidem reseruari. 2. idem dicendum de iis qui à Pontifice, vel ab ipsius legato sunt absoluti, ea lege vt suorum Ordin. riorum, vel aliorum se conspectui representent ab iis pœnitentiam suscepturi, & passis iniuriam satisfactionem exhibeant competentem, si hæc cum primum commodè poterunt, non curauerint adimplere.

Haftenus de excommunicationibus Papæ reseruat. is in 6. iam quod ad eas spectat, quæ in Clementina referuntur, sequentia obseruanda sunt. In primis Inquisitores, vel eorum substituti, qui odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu, contra iustitiam, & conscientiam suam omiserint, contra quemquam procedere vbi fuerit procedendum, super huiusmodi (nempe hæretica prauitate,) aut obtentu eodem, prauitatem ipsam, vel impedimentum Officij sui alicui imponendo, eum super hoc præsumperint quoquo modo vexare, præter alias pœnas, pro qualitate culpæ imponenda eisdem, Episcopus, aut superior suspensionis ab officio per triennium, alij verò excommunicationis sententiam eo ipso incurrant. A qua quidem excommunicationis sententia, qui eandem incurrerint, nisi per Romanum Pontificem nequeant, præterquam in mortis articulo, & tunc satisfactione præmissa, absolutionis beneficium obtinere, nullo in hac parte priuilegio suffra-

affragante. Ita refertur in Clementina *multorum, §. 1.*
de hæreticis.

Deinde in Clementina *Religiosi, de privilegiis*, ex-
 communicationis sententia ipso facto incurrenda,
 sedique Apostolicæ reservata, imponitur Religiosis
 qui clericis, aut laicis Sacramentum vñtionis extre-
 mæ, vel Eucharistiæ ministrare, vel matrimonia so-
 lemnizare, sine speciali licentia Pæccialis presby-
 teri, aut qui excommunicatos à canone, præterquam
 in casibus à iure expressis, vel privilegiis sedis Apo-
 stolicæ concessis eisdem, vel à sententijs & per statu-
 ta provincialia, aut synodalia promulgatis, seu à pæ-
 ciali, & culpa absolvere quemquam præsumpserint. Et
 præcipitur Ordinariis locorum, ut postquam de hoc
 casu constiterit, excommunicatos faciant publicè
 denunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit
 certa fides.

Vbi nota 1. per absolutionem à pœna, & culpa, ibi
 communiter intelligi concessionem indulgentiæ
 plenariæ; quo fit ut religiosus ad confessiones audi-
 endas approbatus, si post absolutionem à peccatis,
 concedat pœnitenti indulgentiam plenariam, in
 hac excommunicationem incidat.

Nota 2. ista intelligi de Religiosis, qui sine debita
 licentia, prædicta administrant; at nunc communi-
 ter Religiosi possunt ex privilegio, à sede Apostolica
 illis concessio, Eucharistiæ secularibus administra-
 re, excepto die Paschatis.

Nota 3. per solemnizationem matrimonij, intelli-
 gitur solemnem benedictionem nuptialem; quare Re-
 ligiosi sine licentia matrimonio coniungentes ali-
 quos, non incurrunt hanc excommunicationem, si
 benedictionem non benedicant.

Nota 4. Religiosos qui sine speciali licentia, extre-
 mum vñtionem, & Eucharistiæ alicui in extremis
 casu conferunt, in dictam censuram non incur-
 runt, si alius desit à quo hæc Sacramenta administrari
 debent. Cùm verisimile non sit, Pontificem ad hunc
 casum

casum prædictam prohibitionem velle extendere.

Notas idem communiter affirmari de eo, qui bona fide prædicta administrat, putans Parochum non ægrè laturum: quia censura fertur tantum contra Religiosos, qui Sacramenta illa administrare præsumunt, sine speciali licentia.

Rursus in Clementina, *si quis de panis*, excommunicatur quicumque suadente diabolo, quemuis Pontificem iniuriose, vel temerè percusserit, aut ceperit, aut banniuerit, seu eiecerit, vel hæc mandauerit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium in his dederit, aut fauorem, vel scienter defensauerit: hæcque excommunicatio reseruatur summo Pontifici, præterquam in mortis articulo. Quo loco aduerte ibi excommunicari auxilium, vel consilium dantes in prædictis, quod non debet extendi ad eos, qui consulunt reo vt fugiat, vel qui ad hoc ei auxilium præbent.

Et eodem tit. *c. cupientes, s. sano*, plectuntur excommunicatione Romano Pontifici reseruata, temerarij violatores constitutionis illius, quæ Religiosis, & clericis secularibus prohibet, ne aliquos ad vouendum, iurandū, vel fide interposira, seu alias promittendum inducant, vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel iam electam vltèrius immutent. Ex quibus verbis colligitur, Religiosos, aut clericos qui alicui suadent, vt in propria Ecclesia sepulturam eligat, hanc censuram non incurrere, modo non suadeant vt voto, vel iuramento ad hoc se obliget: neque illos qui aliquem inducunt, ad eligendam sepulturam in Ecclesia aliena, etsi votum, aut iuramentum ea de re ab illo emitti curent. Neque, iuxta nonnullos, eos qui inducunt ad vouendum, si hæc inductio effectu careat; oppositum tamen quoad hoc videtur probabilius, si cætera adsint, cum ipsa inductio per se & directè prohibeatur, vt patet ex verbis relatis. Notandū autem temerarios violatores non

dicuntur eos qui ex ignorantia, & bona fide ad hoc inducunt, modo ignorantia non sit affectata.

Tandem in Clementina, *gravis, de sententia excommunicationis*, fertur excommunicatio Papæ reservata contra nobiles quosdam & dominos temporales, qui terris eorum Ecclesiastico suppositis interdicto, non tantum in locorum suorum capellis, sed & in collegiatis, & aliis insignium locorum Ecclesiis Missas, & alia diuina officia publicè, & solemniter faciunt celebrari, vel qui ad officia celebranda nunc hos, nunc illos vocantes, & interdum, quod est deterius, compellentes, aut his non contenti excessibus, non solum per campanarum pulsationem, sed & voce præconis populos etiam interdictos, ut interdicti non obstante sententia, ad audiendas Missas veniant, faciunt euocari: aut qui suis subiectis licet excommunicationis, vel interdicti sententia innodatis, præcipere non verentur, ne de Ecclesiis exeant, dum Missarum solemnities celebrantur, etsi celebrantes moneant ut egrediantur. Itemque ipsi publicè excommunicati, & interdicti, qui in Ecclesiis nominatim à Celebrantibus, ut exeant moniti, remanere præsumperint, eadem censura ligantur. Ex quo patet, per Clementinam prædictam quatuor actiones sub excommunicatione Papæ reservata, prohiberi, quæ sedulo expendendæ sunt, propter nonnulla discrimina quæ inter illas reperiuntur.

ARTICVLVS IV.

De excommunicationibus Papæ reservatis in extrauagantibus.

PRIMA refertur in extrauag. *Prodiens, de crimine falsi* eosque afficit qui nullam habentes auctoritatem iuris, vel consuetudinem, seu priuilegium faciendi, moneram falsam ostendunt, & fabricant in regno Franciæ, & locis circumuicinis. Item eos qui

monetam falsam sub vero signo Regis Francorum, & Nauarræ studiosè deprauant, & ex hoc cadit à suo recto pondere. Illos etiam qui in locis circumuicinis; quibus de iure, aut consuetudine, seu privilegio ius competit fabricandi monetam, signum proprium monetæ regiæ, monetæ suæ quam fabricant, imprimere seu insculpere moliuntur, quamuis à iusto pondere monetæ regiæ deficiat. Eos denique qui scienter falsas monetas extra regnum prædictum emunt, & post intra regnum ipsum eas portant, vendunt & expendunt.

Secunda sumitur extrauag. *Dierum de pœnis*, ubi fertur excommunicatio Papæ referuata, contra quoscunque clericos, vel laicos de prouincia Marchiz Anconitanæ, vel aliunde in ea prouincia moram trahentes, qui rectorem, aut rectores illius, aliosue officiales captiuant, percutiunt, vulnerant, occidunt, aliiue modis ibi enumeratis offendunt. Atque hæc duæ excommunicationes sumuntur ex extrauagantibus particularibus Ioannis XXII. quæ uero sequuntur, ex communibus extrauagantibus desumptæ sunt. Itaque

Tertia excommunicatio refertur extrauag. *detestanda, de sepulturis* ubi statuitur eos ipso facto esse excommunicatos, nec nisi per sedem Apostolicam, excepto mortis articulo, absolui posse, qui corpora fidelium, in terris Catholicorum morientium, alibi sepelienda crudeliter exenterant, ac in frustra vel membratim immaniter concidunt, & subsequenter aquis immerfa, exponunt ignibus decoquenda, & tandem ossa carne denudata ad locum sepulturæ deferunt tumulanda.

Atque hæc excommunicatio extenditur ad eos omnes, qui aliquid contra hanc ordinationem attentare præsumpserint, nec tantum ad eos qui hæc præstatunt, sed etiam ad mandantes, si executio sequatur: statuitur insuper ut ille cuius corpus sic inhumanè tractatum fuerit, Ecclesiastica careat sepultura. Verum hanc

hanc excommunicationem non incurrunt, qui corpora defunctorum exenterant, & balsamo inungunt, & diu incorrupta seruentur, vt praxis vbique probata ostendit.

Quarta sumitur ex extrauag. *grauē nimis de reliquiis* *in* *ueneratione sanctorum*, vbi excommunicatione Papæ reseruata feriuntur, tum qui affirmare præsumunt, eos qui credunt B. Virginem Mariam à peccato originali, in sua Conceptione præseruatam fuisse, hæresim incurrere, vel peccare mortaliter: tum qui aiunt Officium Conceptionis celebrantes, vel sermones ea de re audientes, alicuius peccati reatum incurrere: tum qui libros eiusmodi tenent, vel habent. In fauorem autem partis oppositæ, tantum statuitur, simili pœnæ, ac censura eos subiici, qui nulli fuerint asserere, hæresis crimen, vel peccatum mortale ab iis incurrere, qui existimant B. Virginem præ peccato originali conceptam fuisse.

Quinta sumitur ex extrauag. *sane, de simonia*, vbi abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, & Magistris, nec non Abbatissis, & Priorissis, aliisque Prælatibus quouis nomine nuncupatis, itemque Capitulis, & Conuentibus prohibetur, ne à volentibus ingredi eorum religionem, Ecclesias, vel domos, quoscunque usus, prandia seu cænas, pecunias, iocalia, aut res alias, etiam ad vsum Ecclesiasticum deputatas, vel deputandas, directè, vel indirectè petere, vel exigere quoquo modo præsumant.

Deinde hoc decretum violantes excommunicatione Papæ reseruata feriuntur, si sint singulares personæ, suspensione verò si sit Conuentus, vel Capitulum. Nec tantum accipientes censuram illam incurunt, sed etiam dantes. Concedit tamen Pontifex licentiam accipiendi, quæ ab ingredientibus sponte, & plena libertate, omnique pacto cessante offeruntur.

Vbi nota i. hæc duo sedulo distinguenda esse, dare, & recipere aliquid ex pacto pro ingressu religionis;

& dare, aut recipere aliquid pro sustentatione ingredientis: nam primum continet pactum simoniacum, quo temporale datur pro spirituali; secundum vero non item, quæ temporale tradit pro temporali.

Nota 2. aliquos hoc ita limitare, vt non sit simonia, aliquid recipere, aut dare pro sustentatione ingredientis, quando opes Monasterij non sufficiunt ad illius sustentationem, secus si ad id sufficiant. Verum hæc limitatio non probatur, quia siue Monasterij opes sufficiant, siue non, cum non tradatur nisi temporale pro temporali, vt supponimus; pactum ex ea parte non potest esse simoniacum, adeoque non infert censuram, de qua hic agitur; esto quondam auaritiæ notam adiunctam habeat.

Nota 3. sub ingressu religionis, ex communi sententia, comprehenditur maximè professionem, quia tunc effectus est consummatus. Quare quamuis interueniret pactum pro susceptione habitus, si postea rescinderetur, id non sufficeret ad contrahendam excommunicationem, quæ in dicta extrauagante lata est.

Sexta colligitur ex extrauag. cum detestabile, eodem tit. vbi statuitur vt vniuersi, & singuli, qui quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam commiserint, aut quod illa fiat mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua non nisi à Romano Pontifice pro tempore existente, possint absolui. Huius autem excommunicationis, Pontifici reservatæ, materia est sacrilegium in ordine, aut beneficio patratum.

Vbi sub ordine comprehenduntur etiam minores Ordines, imò & ex communi sententia, prima tonsura: nomine autem beneficii videtur intelligi non tantum beneficium propriè sumptum, sed etiam Officium Prioris, Guardiani, & similia, vt colligitur ex verbis illis extrauagantis, in Ecclesiis, Monasteris, Dignitatibus.

atibus Prioratibus, officiis Ecclesiasticis, & quibusvis beneficiis. Nomine autem simonia intelligitur realis, quia per hanc tantum effectus est completus.

Septima sumitur ex extrauag. *etsi dominici 2. de penitentiis & remissionibus*, ubi Sixtus IV. sub pœna excommunicationis sedi Apostolicæ reseruata, prohibet ne quis, prætextu facultatum ab ipso, vel ipsius auctoritate concessarum, offensæ Ecclesiasticæ libertatis, violationis, interdicti, à sede Apostolica impositi, hæresis, conspirationis in personam, aut statum Romani Pontificis, aliorumque criminum quæ ibi enumerantur, reos absolvere præsumat. Item ne quis eodem prætextu dispensare audeat in votis peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ, vel in votis castitatis, & religionis. Verùm hæc constitutio vix nunc aliquem usum habere potest, quia ad incurrendam excommunicationem eâ latam, oporteret prætextu facultatis Generalis à Sixto IV. concessæ, à casibus particularibus prohibitis absolvere; quod hoc tempore vix contingere potest.

Octava de qua in extrauag. excommunicamus, de sententia excommunicationis, fertur in eos qui aliquod pactum fecerint, seu aliquod paruum, vel magnum promiserint vel promissionem receperint aut ex pacto seu promissione quidquam dederint aut receperint magnum, vel paruum pro aliqua iustitia, siue gratia, pro se, aut pro alio, in causis, vel iudiciis, seu alias per litteras Apostolicas & quibuscumque modis apud sedem Apostolicam obtinenda. Eademque censura innodantur, qui scientes aliquem in prædictis culpabilem intra triduum non denunciant. Statuitur præterea, vt nullus ab ea excommunicatione absoluat, absque speciali mandato sedis Apostolicæ, nec nisi prius quantum dedit, vel recepit, tantum pauperibus largiatur. Decernit etiam Pontifex vt iustitia, seu gratia sic obtenta nullius sit momenti, omnique effectu careat, itemque vt ea vtens in simi-

excommunicationem à qua non nisi à Romano Pontifice absolui possit, incidat.

Nona habetur extrauag. *viam, de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem*, vbi prohibetur Mendicantibus, sub pœna excommunicationis Papæ reseruata, & tam à recipientibus, quam à receptis ipso facto incurrenda, ne ad aliquem Ordinem Monasticum, præterquam Carthusianorum, prætextu cuiusuis facultatis, transuolare præsumant, sine licentia speciali sedis Apostolicæ: & consequenter statuitur, vt secus facta non teneant, nulliusque sint efficaciz, vel momenti.

Quo loco tria aduertenda sunt, 1. ex vi huius extrauag. non esse prohibitum Mendicantibus, ad Religionem Mendicantium transire. 2. nec sufficere quod quis cum licentia sui Prouincialis aut Generalis ad Ordinem aliquem Monasticum transeat, sed ad hoc necessariam esse specialem licentiam summi Pontificis, nisi aliunde eiusmodi potestas alicui Superiori Ordinum Mendicantium concessa sit. 3. vt prædicta excommunicatio incurratur, requiri vt quis prætextu alicuius facultatis aut priuilegii, ex Ordine Mendicantium ad Ordinem Monasticum transeat.

Decima, de qua in extrauag. *Ad nostrum*, eodem tit. fertur in quoscunque Religiosos, qui absque Superioris Ordinis (sui licentia, sibi per ipsius litteras patentes concessa, ad partes transmarinas se transferunt. Itemque in Superiores qui aliis sui Ordinis quam viris litteratis, prouidis, & expertis eiusmodi licentiam concedere præsumunt.

ARTICVLVS V.

De excommunicationibus Papæ reseruatis in Bulla Cœnæ.

HÆC bulla quæ quotannis in die cœnæ promulgari solet, 20. excommunicationes Papæ reseruatas

con-

continent quarum *prima* fertur in omnes & singulos hereticos, quocunque nomine censeantur, & cuiuscunque sectæ existant ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine autoritate sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprudentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore, nempe in schismaticos, eosque qui se à summi Pontificis pro tempore existentis, obedientia pertinetè subtrahunt, vel recedunt.

Secunda fertur in omnes, & singulos qui ab ordinationibus seu mandatis Romani Pontificis, ad vniuersale futurum Concilium appellant, & in eos quomodo auxilio, vel fauore appellatum fuerit Collegia, Vniuersitates, & Capitula quæ appellant, pœna interdicti plectuntur.

Tertia in omnes piratas, cursarios, ac latrunculos maritimos discurrentes mare Pontificis, præcipue à monte Argentario vsque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

Quarta in omnes, & singulos qui Christianorum nauorumcunque nauibus tempestate, seu in transuersum, vt dici solet, iactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sine in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta, mari, vel in littore inuenta, cuiuscunque generis bona, tam in Tyrreni, & Adriatici, quam in cæteris cuiuscunque maris regionibus, & littoribus surriperint. Ita vt nec ob quodcunque priuilegium, cōtuetudinem, aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

Quinta in omnes qui in terris suis noua pedagia seu gabellas, præterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita

Sexta in omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel S.R.E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, nec non falso fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma brevis. & etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Septima in omnes illos qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, vel hæreticos à sancta Sede expresse vel nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipso canabe, quam ex quacunque alia materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi quibus Christianos, & Catholicos impugnant. Nec non illos qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipub. concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos, nec non hæreticos in damnum Catholicæ religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodo libet præstant.

Ottava in omnes qui impediunt, seu inuadunt eos qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curie necessaria adducunt, ac etiam eos qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscunque fuerint ordinis, præminentia, conditionis, & status.

Nonæ in omnes illos qui ad sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; nec non illos omnes qui iurisdictionem delegatam, à summo Pontifice, vel ab ipsius iudicibus non habentes

bentes illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

Decima in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad urbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem,

Undecima in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutiens, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedis Apostolicæ legatos, vel nuntios, aut eos à suis diocæsis, territorii, terris seu dominiis efficiens; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel fauorem.

Duodecima contra omnes illos qui per se, vel per alias personas Ecclesiasticas quascunque vel seculares ad Romanam curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Aduocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel iudices super dictis causis vel negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi vel procurare, aut eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præminentia, & dignitatis fuerint.

Decima tertia contra eos, qui prætextu appellationis à grauiamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, recurrunt ad laicam potestatem, ab eaque appellationem admitti, aut præfatas litteras capi, & retineri faciunt. Item contra eos qui dictarum litterarum executionem aliqua ratione impediunt, vel prohibent. Et etiã contra eos qui accedentes ad Romanã Curiam, pro negotiis prosequendis, gratiis,

tijs, vel litteris impetrandis, directè, vel indirectè prohibent ne accedant vel recurrant, & ne impetratis vrantur, vel dictas litteras apud se, vel apud alios quomodolibet retinere præsumunt.

Decima quarta contra omnes, & singulos qui per se, vel alios autoritate propria ac de facto, beneficia ac decimarum, aliasque causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis sedis Apostolicæ, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant; illorumque cursum, & audientiam, ac personas, capitula, collegia, conuentus, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione iudices interponunt. Quiue partes actrices quæ causas illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas; & ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales prohibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui, per statutum, vel aliàs compellunt; vel executionem litterarum Apostolicarum quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant.

Decima quinta contra eos qui ex prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas coram se ad suum tribunal, præter iuris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè quouis quæsito colore. Nec non qui statuta aliqua quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint vel factis & ordinatis vfi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimatur, ves restringitur, seu iuribus sedis Apostolicæ, ac quarumcumque Ecclesiarum directè, vel indirectè, tacitè vel expresse præiudicatur.

Decima sexta contra eos qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque iudices Ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè

directè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos & affines impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod canones, & sacra constitutiones Ecclesiasticae, decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt. Ac etiam eos qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias & decreta, aut alias ferri Ecclesiastici iudicium eludentes, ad curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam poenalia ordinariis aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant: eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Decima septima contra eos qui iurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad summum Pontificem & sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, siue Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia sequestrant.

Decima octaua contra eos qui collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera clericis, Prælati, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus absque Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus accipiunt. Nec non qui per se, vel alios, directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur. Et super his innouantur decreta per sacros canones, tã in Lateranensi recentissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita,

edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis conten-
tis.

Decima nova contra Magistratus & iudices, nota-
rios, scribas, executores, subexecutores quomodo-
libet se interponentes in causis capitalibus seu cri-
minalibus, contra personas Ecclesiasticas illas pro-
cessando, banniendo, capiendo, seu sententiam con-
tra illos proferendo, vel exequendo, sine speciali,
specifica, & expressa sanctæ sedis Apostolicæ licen-
tia, quique eiusmodi licentiam ad personas & casus
non expressos extendunt, vel alias perperam abu-
tuntur.

Vigesima contra illos qui per se, vel per alios dire-
ctè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore
inuadere, destruere, occupare, & detinere præsum-
serint in totum vel in partem ciuitates, terras & lo-
ca, vel iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia ei-
que mediatè vel immediatè subiecta, nec non supre-
mam iurisdictionem in illis summo Pontifici, & ei-
dem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsur-
pare, perturbare, retinere, & vexare variis modis
præsumunt; nec non contra adhærentes, fautores, &
defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel
fauorem quomodolibet præstantes.

Hæ sunt excommunicationes summo Pontifici in
Bullæ cœnæ reseruata, post quas nonnulla addun-
tur hic obseruanda 1. Hanc bullam durare donec
alia vel ab eodem, vel ab alio Pontifice promulge-
tur.

2. A dictis censuris nullum per alium, quàm per
summum Pontificem, vel ab ea delegatum posse ab-
soluti, nisi in articulo mortis; nec etiam tunc, nisi de-
stano Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione
præstita.

3. Eos qui contra hanc prohibitionem censura in-
nodatos absoluere tentant, excommunicationem
incurtere, aliisque pœnis spiritualibus, & tempora-
libus grauitè coercendos.

4. Eum

4. Eum qui absoluitur ab aliqua ex dictis excommunicationibus, debere habere verum propositum similia ulterius non committendi, alioqui absolutionem nullius esse valoris, & si aliquod statutum contra libertatem Ecclesiasticam fecit, debere illud reuocare, & rescindere.

5. Bullam prædictam ab vniuersis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælati vbi libet constitutis, semel in anno, aut si expedit, pluries in Ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicandam esse.

6. Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios, & Ecclesiarum Prælatos, nec non Rectores, ceterosque curam animarum exercentes, ac Presbyteros seculares, & quorumuis ordinum Regulares, ad audiendas confessiones deputatos, debere transumptam huius bullæ penes se habere, eamque accuratè legere, ne incautè aliquem absoluant.

A R T I C V L V S VI.

De excommunicationibus extra corpus iuris canonici, & Bullam cæna. summo Pontifici reseruatis.

PRÆTER dictas excommunicationes sunt aliæ quamplurimæ, in bullis specialibus summo Pontifici reseruatae, quæ hic breuiter referendæ sunt.

Prima lata est contra eos, qui domum alicuius Cardinalium, tam tempore conclauis, etiam si in Romanum Pontificem tunc sit electus, quàm alias quâdocunque, & ex quacunque causa, armata manu inuadunt, & in ea violenter & hostiliter aliquid diripiunt, aut quempiam ex inibi existentibus vulnerant. Item contra id fieri mandantes, vel factum eorum nomine, ratum habentes, aut facientibus confa-

consilium, vel fauorem præstantes, eosue defendentes.

Secunda contra maioris Pœnitentarii, pro tempore existentis, litterarum executionem qualitercunque impediens aut quominus dictæ litteræ, iuxta earum formam, & tenorem debitæ executioni demandentur, impedimentum, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

Tertia contra eos qui pro beneficiis obtinendis simulant personam, seque pro aliis examini subiiciunt, vel qui impetrant aliquod beneficium pro altero id ignorante, vt postea ab illo commodum aliquod ex pacto consequantur; vel qui procurant alteri beneficium, sub promissione annuæ pensionis ipsis solvendæ, aut solum cum spe eam consequendi, vel aliquod commodum temporale, vel qui pro seipsis beneficium procurant, cum intentione illud postea resignandi in fauorem alterius.

Quarta contra illos qui litteras, vel nuntium, vel aliquod signum mittunt ad eos qui in conclauis existunt, & contra recipientes.

Quinta contra eos qui alicuius Ecclesiæ, seu cuiusvis secularis, vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel alios quocunque modo in proprios vsus conuertere, illosque vsurpare præsumpserint, seu impedire ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur.

Sexta contra fœminas ingredientes Monasteria Regularium, siue ingrediantur prætextu facultatum à summo Pontifice obtentorum, siue non, itemque contra Religiosos eas, prætextu eiusmodi facultatum, admittentes. Eandem etiam excommunicationem incurrunt ii, qui ingrediuntur Monasteria Monialium ad malum finem, & qui prætextu facultatis ingrediendi

ingrediendi à Pontifice vel alio concessæ, ingredi præsumunt. Quamquam secus dicendum sit de iis, qui bona fide ingrediuntur prætextu facultatis, putantes sibi licitum esse ingressum; illi enim non incurrunt excommunicationem, saltem Papæ reservatam.

Septima contra eos, qui in prouisione beneficiorum Ecclesiasticorum, exigunt partem aliquam fructuū, vel distributionem, vel prouisum inducunt ad præstandum iuramentum, de obseruanda eiusmodi consuetudine, aut possessionem impediunt, donec id præstet. Non tamen damnantur, qui in prouisione beneficiorum aliquid exigunt, in pios usus conuertendum.

Octaua contra eos qui institutum societatis Iesu, vel eius constitutiones directè, vel indirectè impugnant, vel eis contradicere audent. Vnde hanc excommunicationem incurrunt, qui affirmant aliquid quod in ea societate obseruari solet, perperam statutum esse, itemque qui libellos famosos contra illam edunt.

Nona contra docentes, licere per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, vel defendentes talem propositionem esse probabilem in aliquo casu.

Decima contra omnes Sacerdotes tam seculares, quam regulares per vniuersam Italiam extra urbem degentes, qui prætextu facultatum, & priuilegiorum à casibus à Papa, vel ab Ordinario reueruatis absoluerè præsumunt. Vnde patet hac censura non ligari Sacerdotes Romæ, vel extra Italiam existentes, adeoque posse iuxta tenorem suorum priuilegiorum à casibus Papalibus (præter contentos in Bulla cœnæ) & Episcopalibus absoluerè.

Vndecima contra Moniales è Monasterio sine licentia egredientes, itemque contra concedentes, sine legitima causa, licentiam egrediendi; imò & comitantes, & receptantes.

Duo dec-

Duodecima contra Minores de Observantia, qui in electionibus, vel ante eas per sex menses pro se, vel pro alio subornauerint, vel qui ad officium obtinendum, quorumuis fauorem extra Religionem procurauerint. Verum Pontifex indulget vt tam Minister, quam Commissarius generalis Ordinis ab hac censura absolueri possint, quando de ipsis non agitur.

Decima tertia contra claustrales recipientes Minimos, sine licentia summi Pontificis.

Decima quarta contra Minimos, subtrahentes se ab obedientia correctorum.

Decima quinta contra Religiosos quoscumque, exceptis Carthusianis, qui recipiunt aliquem ex societate Iesu, sine licentia sui Superioris, & contra admissos.

Decima sexta contra Cardinales reuelantes gesta in secreto consistorio, præcepta sub silentio expressè seruari.

Decima septima contra Episcopos, aliosque collatores qui suspensi à collatione beneficiorum, ob non seruata formam resignationis præscriptam, audent beneficia conferre, vel ad ea eligere, præsentare, &c.

Decima octaua contra pugnantes in duello, locum concedentes, consulentes, adstantes, &c.

Decima nona contra eos qui simoniam confidentialem committunt, vt dum quis beneficium alicui confert sub conditione, vt accipiens conferat fructus, vel eorum partem ad vtilitatem conferentis beneficium.

Vigesima contra eos qui publicant, vel concedunt indulgentias, certam pecuniæ summam soluentibus, aut facultatem eligendi confessarium, à quo à reseruatibus absolui possint.

Vigesima prima contra Parochos qui obtinent beneficium Parochiale, cum iuramento residendi intra certum tempus, nec tamen hoc iuramentum seruant.

Vigesima

Vigesima secunda contra eos, qui vt expeditionem litterarum Apostolicarum gratis obtineant, in iis fingunt se nepotes, fratres, aut familiares, & cōtinuos commensales Vicecancellarii, vel aliorum Cardinalium, vel Abbreniatorum, vel aliorum quorum litteræ gratis expediri solent. Itemque contra Officiales qui eiusmodi fictionem procurant, aut permittunt.

Vigesima tertia contra eos qui Christianos, in terris Turcarum repertos, capiunt, seu in seruitutem redigunt, vel qui eos inuitos cogunt ad remigandū, etiam si merces iis soluatur, vel qui taleam eis imponunt, id est qui non permittunt vt abeant, donec tantum pretii soluant, vel qui eorum bona diripiunt.

Vigesima quarta contra deferentes alumina ex terris infidelium ad partes Catholicorum, vel facientes adduci, vel adducta vendentes, vel ementes, vel operam suam in eis impendentes, seu in eis laborantes, vel in iis se immiscentes, affecurando naues, & alumina quæ nauibus aduehuntur.

Vigesima quinta contra illos qui in collatione beneficii Ecclesiastici, aut officii secularis exigunt iuramenta illicita, damnoſa, vel Ecclesiasticæ libertati, aut decretis Concilii Tridentini obuiantia. Episcopi tamen qui talia iuramenta exigunt, non incurrunthanc excommunicationem, sed tantum suspenduntur à diuinis.

Vigesima sexta contra ambientes Papatum, eiusque causa simoniam committentes, & contra tractantes, viuente summo Pontifice, de alio eligendo, inconsulto Pontifice. Non tamen incurritur hæc censura, à tractantibus de iis qui essent apti ad talem dignitatem, & qui possent eligi.

Vigesima septima contra facientes sponſionem, seu promissionem, aut contractum super vita, aut morte summi Pontificis, aut alterius futura creatione, etiã si id fiat sede vacante. Item contra permittentes
tales

tales contractus fieri in suis terris, vel consilium, aut auxilium, aut fauorem in iis dantes.

Vigesima octaua contra tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus ciuitatum, & locorum ad sedem Apostolicam spectantium, ac propterea de eligendis Oratoribus ad Papam ea de causa mittendis, proponentes, & contra alios quoscunque alienationis huiusmodi Romano Pontifici per se, vel alios insinuantes, vel suadentes.

Vigesima nona contra dantes per se, vel per alium, aut promittentes aliquid nunciantibus prouisionem aliquam, à sede Apostolica factam de Ecclesia, vel monasterio.

Trigesima contra extrahentes, vel extrahi, aut asportari vel conduci facientes frumenta, blada legumina, & oleum, extra statum Ecclesiasticum vel ad loca in confinibus status Ecclesiastici existentia, seu à statu immediato ad loca Ecclesie Romanæ mediate subiecta. Quod tamen iam limitatur, modo extractio fiat causa mercimonii.

Trigesima prima contra diripientes, furto subtrahentes, ementes, permutantes, retinentes, &c. animalia, iumenta, aliasque res & bona cuiuscunque generis & speciei, status Ecclesiastici.

ARTICVLVS VII.

De excommunicationibus Papalibus nemini reseruat: ac primo de iis qua vt plurimum sunt communes omnibus personis.

PRIMA fertur contra laicos, qui oblationes intra Ecclesiam factas inde auferunt, & sibi applicant.

Secunda contra eos qui cogunt fœminas ad ingressum

um in monasteria, ad susceptionem habitus, vel ad professionis emissionem, præterquam in casibus iure expressis.

Tertia contra eos qui Sanctam Virginum, vel Monialium mulierum voluntatem vel accipiendi, vel retrahendi quoquo modo, sine iusta causa, impediunt.

Quarta contra impediētes visitatores Monialium in iis qua spectant ad earum reformationem.

Quinta contra eos qui vocati ad dirigendas Moniales in electionibus, non abstinēt ab his per quæ inter eas, super faciendis ipsis electionibus, oriri possit discordia, vel exorta nutriri.

Sexta contra omnes, & singulos habentes dominium temporale, qui quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogunt, quominus liberè matrimonium contrahant.

Septima contra eos qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, constitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonium non verentur, nec non contra Religiosos, Moniales, & clericos in sacris ordinibus constitutos, qui matrimonia contrahunt.

Octava contra eos qui negant, clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. itemque contra eos qui falso affirmant, matrimonia à filiis familias, sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.

Nona contra raptores mulierum, eisque consilium, auxilium, & fauorem præbentes.

Decima contra procurantes abortum foetus animati percussionibus, veneno, medicamentis, potionibus, aut oneribus mulieri prægnanti impositis, vel hoc cooperantes. Licet autem hæc excommunicatio non sit summo Pontifici reservata, non tamen

ab ea absoluere possunt, nisi qui ad hos casus specialiter per Ordinarium sunt deputati, ita scilicet ut facultas absoluendi etiam ad casum de quo agimus, extendatur. Vnde si abortus est reseruatus alicui Episcopo, habens generalem facultatem absoluendi à casibus tali Episcopo reseruatis, excommunicationem de qua agimus tollere potest.

Vndecima contra eos qui asserere non verentur, quod summus Pontifex, ante suæ coronationis insignia, se non debet intromittere de prouisionibus, reseruationibus, dispensationibus, & aliis gratiis faciendis, & ex hoc errore aliquas litteras illius, super negotiis quibuscunque, ante coronationem confectas, impugnare presunt.

Duodecima contra eum qui quemuis ex Inquisitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, aliisque ministris officii Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua dioecesi obeuntium, seu accusatorem, denunciatores, aut testem in causa fidei quomocunque productum occiderit, verberauerit, deiecerit, &c. vel quoad hæc auxilium, consilium, vel fauorem præstiterit.

Decima tertia contra eos qui præsumunt prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere, non esse necesse, ut habens conscientiam peccati mortalis, ante sumptionem Eucharistiæ confiteatur, modo se contritum existimet.

Decima quarta contra eos, qui absolutionem ab excommunicatione, vel quamcunque reuocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti, vi, vel metu extorquent.

Decima quinta contra imprimentes libros, sine debita facultate, & licentia, vel imprimi facientis: itemque si libri sunt de rebus sacris, contra eos vendentes, vel apud se retinentes.

Decima sexta contra eos, qui sine autoritate sedis Apostolicæ, audent vellos commentarios, glossas, annotationes, scholia, vllumue omnino interpretationem

nis genus, super decretis Concilii Trid. quocunque modo edere, aut quicquam quocunque nomine etiam sub prætextu maioris decretorum corroboracionis, aut executionis, alioque quafito colore statueri.

Decima septima contra eos qui clericos (vel quolibet alias personas Ecclesiasticas) ad quos in aliquibus Ecclesiis, Monasteriis, aut piis locis spectat electio, pro eo quod rogati, seu aliàs inducti, eum pro quo rogabantur, siue inducebantur erigere noluerint, vel consanguineos eorum, aut ipsas Ecclesias, Monasteria, seu loca cætera beneficiis, siue aliis bonis suis per se, vel per alios spoliando, seu aliàs iniuste persequendo grauare præsumunt.

Decima octaua contra laicos compellentes Ecclesiasticos ad submittendas Ecclesias, vel bona immobilia, vel iura laicis, absque debita solemnitate, & sedis Apostolicæ facultate, vel ex eiusmodi submissionibus, vel alienationibus legitimè factis aliquid usurpant, præter id quod ipsis ex natura contractus, vel ex conuentione debetur.

Decima nona contra eos qui Agnos Dei, per Romanos Pontifices benedictos depingere, minio notare, vel aurum iis imponere, aut quidpiam aliud superinducere audent, vel illos depingi, aut miniari facere, aut pictos, vel miniatos veniales proponere, vel tenere.

Vigesima contra eos qui hæreticos credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scièter præsumunt Ecclesiasticæ tradere sepulturæ. Verùm hæc excommunicatio est summo Pontifici reseruata, donec ea ligati corpora eiusmodi propriis manibus publicè extumulent, & proiciant.

Vigesima prima contra eos qui, propriæ temeritatis audacia, corpora defunctorum in cœmeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis à iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel vltorios manifestos scièter sepelire præsumunt,

munt,

munt. Qui tamen hanc censuram incurrit, non potest ab ea absolui, donec ad arbitrium diocesani Episcopi, eis quibus per prædicta iniuriam irrogauit, competentem dederit satisfactionem.

Vigesima secunda contra mandantes aliquem Christianum occidi per Assassinos, & contra receptantes, defendentes, vel occultantes eiusmodi Assassinos.

Vigesima tertia contra partem quæ procurat ut conservator clericorum, vel Regularium à summo Pontifice constitutus, de aliis se intromittat, quàm de manifestis iniuriis, & violentiis, nisi ex privilegio id possit. Neque hæc censura tolli potest à confessario ordinario, nisi postquam id procurans parti iniuste vexatæ satisfecit.

Vigesima quarta contra eos, qui secreto loquuntur cum Cardinalibus, in Conclavi existentibus.

Vigesima quinta contra eos qui fingunt aliquid, vel fraudem committunt, qua fit ut iudex se personaliter conferat ad fœminam, eius testimonii accipiendi causa.

Vigesima sexta contra diuinatores, incantatores, & maleficos. Quidam tamen existimant hanc excommunicationem vsu receptam non esse, nisi maleficio adiungatur error contra fidem.

ARTICVLVS VIII.

De excommunicationibus specialibus contra Ecclesiasticas personas Papa minimè reseruat.

IN primis variæ afferri solent excommunicationes non reseruatæ contra clericos, & Prælatos Ecclesiasticos: quarum prima lata est contra clericos in sacris existentes, qui matrimonium contrahere præsumunt.

Secunda

Secunda contra impugnantes in concionibus, aut disputationibus, verbo, vel scriptis montem pietatis. Verum hæc excommunicatio non tantum ad Religiosos, & clericos, sed etiam ad laicos extendi videtur.

Tertia contra absolventes à casibus in bulla coenæ contentis: si tamen hæc absolutio detur prætextu priuilegii, incurritur excommunicatio Papæ reservata.

Quarta contra eos qui, sine licentia Episcopi, se ingerunt in celebrandis officiis, aut Sacramentis administrandis, in locis vbi sunt permixti populi diversarum linguarum, & rituum, sub eadem fide.

Quinta contra Sacerdotes, qui præfecturam secularem ad ministrare præsumunt, nisi moniti eam abiiciant.

Sexta contra Sacerdotes, aliosue clericos dignitatem, aut personatum habentes, qui extra propriam domum exeunt ad audiendas leges, vel medicinam, nisi intra duos menses hanc auditionem intermittant.

Septima contra clericos habentes beneficia, vel in sacris constitutos, qui interfunt agitationibus taurorum, vel ferarum quæ fiunt in circo, aliove loco clauso.

Octava contra eos qui extra Curiam, & ultra duas dietas resignant alicui beneficium, prætextu facultatis à sede Apostolica obtentæ, & in ea resignatione fraudem aliquam, seu fictionem committunt. Itemque contra resignatarium si sit Episcopo inferior, notarios, & testes ad hanc fictionem concurrentes.

Nona contra Ecclesiasticos Episcopis inferiores locantes, vel quouis alio titulo cōcedentes domum alienigenis vsurariis publicis, ad fœnus exercendum, aut permittentes eos in terris suis domum conducere, vel habitare.

Decima contra clericos, & Religiosos Curā Ecclesiarum

K

fiarum

fiarum habentes, qui procurant ut regalia iura, & loca Ecclesiarum vacantium ab aliis occupentur. Ceterum occupantes incurrere excommunicationem Papæ reſeruatam, ſupra dictum eſt.

Vndecima contra Eccleſiaſticos ſeculares, & regulares alienantes bona Eccleſiaſtica, tam immobilia, quàm mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, ſine conſenſu ſummi Pontificis, & contra eos qui talia bona recipiunt. Epifcopi tamen & Abbates alienantes non hac, ſed aliis pœnis plectuntur.

Duodecima contra Epifcopos, alioſque Prælatos latenter prauaque intentione Romam ſe conferentes, hincque ſine licentia ſummi Pontificis recedentes. Itemque contra eos recipere præſumentes, non monito ſummo Pontifice.

Decima tertia contra Nuntios Apoſtolicos, & alios ad Principes ex quauis cauſa miſſos, qui ab iis ad quos mittuntur, procurare præſumunt commendationes, fauores vocales, aut litteras ad obtinendas dignitates ſibi, aut conſanguineis, ſeu neceſſariis ſuis quouis modo per ipſum Romanum Pontificem conferendas.

Decima quarta contra maiorem Pœnitentiarium, & Officiales pœnitentiariæ præſumentes ſe intromittere in expeditionibus à Pio V. prohibitis in bulla 53. quæ incipit, *in ſublîmi B. Petri ſolio*, vbi numerantur multæ expeditiones maiori pœnitentiario prohibitz.

Varia etiam ſunt excommunicationes non reſeruata contra Religioſos. *Prima* contra profeſſos qui in ſcholis, aut alibi temerè, ſeu ſine cauſa rationabili, habitum ſux religionis dimittunt.

Secunda contra Religioſos qui è clauſtro exeunt ad audiendas leges, vel medicinam, niſi intra bi-meſtre redeant.

Tertia contra Religioſos profeſſos, accedentes ad ſtudia litterarum ſine licentia ſuperioris, cum conſilio conuentus, vel maioris partis,

Quarta

Quarta contra Monachos, & canonicos Regulares administrationem aliquam non habentes, qui ad curias Principum se conferre præsumunt, vt suis Prelatis, aut Monasteriis damnum aliquod inferant.

Quinta contra Religiosos non habentes officia, aut beneficia, qui decimas Ecclesiis debitas sine iusta causa sibi vsurpant, nisi intra duos menses restituât: aut qui decimarum solutionem impediunt, nisi moniti ab iis quorum interest, intra mensem impedire destiterint.

Sexta contra Religiosos qui aliqua, vt audientes decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, in sermonibus suis, vel alibi proferre præsumunt.

Septima contra Religiosos, qui requisiti à Rectoribus Ecclesiarum, non admonent pœnitentes de solutione decimarum, nondumque purgatâ negligentia prædicare præsumunt.

Octava contra Religiosos qui interdictum generale, aut cessationem à diuinis, autoritate sedis Apostolicae impositam non seruant, quoties ea ab Ecclesia Cathedrali, vel Parochiali seruetur.

Nona contra Monachos tenentes arma intra septa Monasterii, sine licentia Abbatum suorum.

Decima contra Religiosos professos matrimonium contrahentes.

Vndecima contra Religiosos qui agitationibus Taurorum intersunt.

Duodecima contra Religiosos Mendicantes, & Ecclesiarum Parochialium Rectores, pacem inter se in partibus Germaniæ factam, non seruantes.

Decima tertia contra Religiosos de Obseruantia, ad Capucinos sine debita licentia transeuntes, & contra Capucinos eos admittentes.

ARTICVLVS IX.

De excommunicationibus specialibus contra Magistratus, & Doctores, non reseruat.

P RIMA fertur contra Dominos, rectores, & officiales illius loci in quo electio summi Pontificis facienda est, nisi obseruent statuta in *c. Vbi periculum, de electione in 6.*

Secunda contra eos qui violant constitutionem Pii V. qua Ordines Mendicantes vtriusque sexus à quibuslibet gabellis & oneribus eximuntur.

Tertia contra eos qui faciunt seruari consuetudinem, contra libertatem Ecclesiasticam introductam, aut statutum ei repugnans, nisi fecerint illud è capitularibus suis deleri; itemque contra statuarios, scriptores statutorum, &c.

Quarta contra Dominos temporales qui subditis suis interdiciunt, ne Ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant, neque ipsi triticum molant, coquant panem, aliaue obsequia exhibere præsumant. Verum si hæc prohibitio fiat per aliquod statutum, vel ordinationem, incurritur excommunicatio summo Pontifici, in bulla cœnæ reseruata.

Quinta contra eos qui infra mensem à die cognitionis criminis, non curant obseruari quæ *C. falsis de penis in 6.* statuuntur contra insequentes Cardinales.

Sexta contra Administratores dignitatum secularium, qui ab Episcopis & aliis viris Ecclesiasticis ter requisiti, Ecclesiam, pupillos, & viduas defendere, & latrocinia similiaque vitia extirpare negligunt.

Septima contra Magistratus seculares, nisi præbent auxilium Episcopis, circa clausuram Monialium.

Octava

Octava contra Dominos temporales, rectores, vel
 officiales, &c. qui Episcopis, & Inquisitoribus
 redire renuunt, quoad Inquisitionem, captionem,
 custodiam, & punitiōem hæreticorum, eumque
 in iis fauorem, vel auxilium præbent.

Nona contra Magistratus, & Officiales non paren-
 tes Cardinalibus sanctæ Inquisitionis, in iis quæ ad
 officium sanctæ Inquisitionis spectant.

Decima contra Episcopos, Inquisitores, eorumque
 commissarios, qui ab aliquo pecuniam modo illi-
 cito extorquent, prætextu officii Inquisitionis;
 et qui bona Ecclesiarum fisco siue seculari, siue Ec-
 clesiastico eodem prætextu applicare attentant.
 Neque excommunicatio reseruata manet respe-
 ctu pecuniam extorquentis, donec ei satisfecerit à
 eo extorsit.

Undecima contra officiales Cancellariæ Apostoli-
 cæ, qui procuratores litterarum contradictarū nun-
 tiantur, quando se in causis à Pio IV. in bulla quæ
 incipit, *uniuersi gregis Domini* prohibitis, quouis mo-
 do introumittere audent.

Duodecima contra legatos, Vicellegatos, governa-
 tores, & alios qui temerè quouis colore, vel prætex-
 tu introumittunt se in officiis notariatum, tam per
 meram venditis, quàm deinceps vendendis, vel in
 scripturis eiusmodi officia ementium, aut qui ea of-
 ficia ementes molestant siue per se, siue per alios.

Decima tertia contra rectores, præsidentes, officia-
 les, & ministros ciuitatum, & locorum status Eccle-
 siastici, qui alteri quàm fisco cameræ Apostolicæ
 molestas pecuniarias & confiscationes, pro quouis
 termino tam à iure communi, quàm municipali im-
 positas, applicare audent. Verùm quia delinquens
 incurrit excommunicationem, vel suspensionem,
 nonnulli putant illi liberum esse, quàm maluerit ex
 his censuris eligere.

Decima quarta contra Rectores Vniuersitatum, &
 Gymnasiorū, aliosque facultatem doctorandi habē-

tes, qui aliquem cathedras, vel alias lectiones retinere, aut consequi, vel ad gradus promoueri patiuntur, non facta fidei professione. Modo id permittant in locis sibi spiritualiter, vel temporaliter subditis.

Decima quinta contra officiales locorum & communitatum qui edunt statuta de soluendis vsuris, vel non restituendis cum repetuntur, & contra eiusmodi statuta dictantes, aut scribentes. Itemque contra iudicantes, seu sententiam ferentes de soluendis vsuris, vel non restituendis; ac denique contra non delentes, intra tres menses, prædicta statuta ex libris communitatum.

Decima sexta contra officiales, & ministros status Ecclesiastici, qui dant facultatem deferendi pugiones, cultellos, aliaque arma breuioris mensuræ arum palmorum: & contra eos qui prætextu datæ facultatis, eiusmodi arma deferunt. Verum excipiuntur cultelli ad incidendum panem, qui tamen vnum palmum excedere non debent, nec cuspidem habere.

Decima septima contra concedentes pignorationes, quas vulgo repressalias vocant, aduersus Ecclesiasticas personas; vel contra aliquem ciuitatem concessas ad ipsos Ecclesiasticos extendentes.

Decima octaua contra exigentes per se, vel per alium, suo, vel alieno nomine pedagia, vel guidagia ex rebus Ecclesiasticorum, quæ non deferuntur causa negotiationis. Verum hæc excommunicatio reseruata est ante factam restitutionem, non autem ea facta.

Decima nona contra Principes, aliosque superiores agitationes ferarum in suis terris permittentes. Hæc tamen ab iis non incurritur, modo agitatio non fiat in die festo, & cautè provideant ne cædes ex ea sequantur.

Tandem dux obseruanda sunt censuræ speciales, altera contra Magistros, seu Doctores qui Religiosos, habitu suo dimisso leges, vel physicam audientes, scientes

enter docere, aut in scholis suis præsumpserint
 cinere. Cæterum per leges intelligitur ius ciuile,
 per physicam, medicina.

Altera contra Magistros, & scho'lares qui Bononia
 mos aliorum scholarium, ante finitum tempus
 nationis, cum eorum damno conducunt.

A R T I C V L V S X.

De censuris summo Pontifici in Gallia reseruatis.

NONNVLLI recentiores docent 17. excommunica-
 tiones in Gallia summo Pontifici esse reseruatas.

Prima fertur contra percussores clericorum, dum-
 modo percussio sit enormis, qualis est occisio vel
 mutilatio clerici, Cardinalis, Episcopi.

Secunda contra excommunicatos à delegato Papa,
 per annum manent in tali excommunicatione.

Tertia contra clericos communicantes scienter
 cum excommunicatis nominatim à Papa, eos admit-
 tendo ad diuina officia.

Quarta contra incendiarios postquam denuntiati
 fuerint.

Quinta contra infringentes Ecclesias, relque ipsa-
 rum diripientes, postquam denuntiati fuerint.

Sexta contra eligentes in Senatorem, vel in Recto-
 rem vrbis Romana virum aliquem notabilis dig-
 nitatis.

Septima contra grauantes iudices Ecclesiasticos, à
 quibus fuerunt excommunicati, vel aliqua alia cen-
 sura innodati.

Octaua contra clericos seculares, & Religiosos in-
 nocentes aliquem ad iurandum, vel vouendum, vel
 promittendum se apud eorum Ecclesias sepulturam
 accepturum.

Nona contra percussores Episcoporum.

Decima contra Religiosos qui extremam vnctio-
 nem, vel viaticum administrant, vel matrimonio
 intersunt vice Parochi, sine speciali illius licentia.

L 4

Vndecima

Undecima contra Inquisitores malè procedentes
contra hæreticos.

Duodecima contra eos qui aliquem cogunt cele-
brare diuina officia, in loco interdito.

Decima tertia contra eos qui cadauera defuncto-
rum exenterant, & in frustra incidunt.

Decima quarta contra eos qui admittunt ad Sacra-
menta, nominatim excommunicatos à Papa, sine ex-
pressa illius licentia.

Decima quinta contra simoniacos in ordine, bene-
ficio, & ingressu Monasterii.

Decima sexta contra ingredientes Monasteria Me-
nialium, sine licentia Superiorum.

Decima septima contra prouocantes ad duellum,
auxiliantes, locum concedentes, &c.

Verùm hæc sententia non caret difficultate, tum
quia immeritò numerat decimam tertiam excom-
municationem inter hic reseruatam, cum aliunde
fateatur in Gallia nunquam fuisse receptam. Tum
quæ quæ dicuntur contra eligentes in Senatorem
Romanum, virum aliquem nobilem, parum ad
nos spectant; sicut & quæ asseruntur contra Inquisi-
tores. Quare casus summo Pontifici Lutetia reserua-
ri soliti, his versibus comprehenduntur, vt patet ex
Catechesi Christiana, quæ initio Breuiarii Parisien-
sis extat.

*Per Papam sariens clericum, falsarius, vrens
Soluatur, & quisquis audet celebrare ligatus;
Simon si fuerit, sed fallit regula talis,
Si impubes, Monachus, mulier, vetulus, quoque pau-
per.*

Ianitor, hostilis, poteris releuare labore.

Ad quorum intelligentiam aduerte r. quinque tan-
tum casus ijs versibus comprehendendi, quibus absolu-
tio ab excommunicatione reseruata est summo Põ-
tifici. *Primus est*, quando quis clericum percutit,
quod intellege de enormi percussione clerici in sa-
ceris constituti, vel Religiosi. Nam si grauis tantum
fuerit,

fuerit, a
sensis ab
ficia refer

Secunda
adulteran-
nim falsi-
notorium

Tertius
voluntar-
ce denun-
nim ab A-
cendum

Quarta
gari, aude-
ligi pote-
dote ce'e
reseruata

Quinta
qui limo-
cum; siq-
casus Arc-

Aduerte
sibus nu-
tenentur
causa,

sunt: nin-
nem, pau-
turbam,
denique
potest R.

Verùm r-
tionem
postolic

Aduer-
sus sum-
quam in-
dum.

fuerit, ab ea Reuerendissimus Archiepiscopus Parisiensis absoluit, vt patet ex casibus illi reseruatis, postea referendis.

Secundus comprehendit crimen falsariorum, qui adulterant litteras, aut bullas Pontificias; earum enim falsificatio Papæ reseruatur, quando factum est notorium; si verò sit occultum, Archiepiscopo.

Tertius locum habet in eo qui alienam domum voluntariè incendit, quando incendiarius est publice denunciatus; secus si denunciatus non sit, tunc enim ab Archiepiscopo absolui potest. Et idem dicendum de effractore, & spoliatore ædium sacrum, & piorum locorum.

Quartus respicit Sacerdotes qui quamdiu sunt ligati, audent sacrum celebrare; verùm non satis intelligi potest, ob cuius censura violationem, à Sacerdote celebrante incurratur excommunicatio Papæ reseruata.

Quintus tandem casus complectitur eorùm crimen, qui simoniam committunt modo crimen sit publicum; siquidem simonia, & confidentia occulta inter casus Archiepiscopo reseruatos numeratur.

Aduerte 2. septem genera personarum in dictis versibus numerari, quæ si inciderint in casus Papales, non tenentur Pontificem adire, absolutionis obtinendæ causa, sed ab Archiepiscopo Parisiensi absolui possunt: nimirum impubem, monachum, mulierem, senem, pauperem, ianitorem, qui scilicet dum arce turbam, Sacerdotem casu percutit, & vulnerat, ac denique eum qui hostium insidias metuens, non potest Romam proficisci sine graui vitæ periculo. Verùm nulla est ratio cur isti non teneantur absolutionem ab excommunicatione petere à Nuntio Apostolico, qui Lutetiæ residere solet.

Aduerte 3. in Rituali Parisiensi anno 1646. edito casus summo Pontifici Lutetiæ reseruatos, paulò aliter quam in dicta Catechesi referri, nempe in hunc modum.

Casus frequentiores Papa in his partibus reservati.

1. **E**XVSTIO templorum, nec non & domorum profanarum procurata, dum incendiatus est publice denunciatus.
2. Simonia realis in Ordinibus, & beneficiis, & confidentia dummodo sit publica.
3. Occisio, seu mutilatio membrum cuiusque in sacris Ordinibus constituti.
4. Percussio Episcopi, seu alterius Prælati.
5. Delatio armorum ad partes infidelium.
6. Falsificatio Bullarum, seu litterarum summi Pontificis.
7. Invasio, de prædario, occupatio, aut devastatio terrarum Romanæ Ecclesiæ.
8. Violatio interdicti ab eadem sancta sede impositi.

Nota 1. hos omnes casus adiunctam habere censuram. 2. non omnes casus Papæ in his partibus reservatos, hic notari, sed eos tantum qui frequentius occurrunt. 3. quoad aliorum obligationem, spectandam esse locorum consuetudinem, à viris doctioribus & piis probatam; cum hac in re nihil certi statui possit.

Vt autem quæ iam diximus de casibus summo Pontifici Parisiis reservatis, melius intelligantur, simulque constet quousque se extendat potestas Sacerdotum, qui ibidem confessionibus audiendis vacant, operæ prærium est hoc loco recensere casus in Diocesi Parisiensi nunc reservatos, ut in prædicto Rituali referuntur.

Casus Reverendissimo Archiepiscopo Parisiensi reservati.

1. **G**RAVIS percussio Religiosi, vel clerici in sacris constituti, quæ si atrocior fuerit, summo etiam Pontifici reservatus.

a. Exu-

1. Exustio domorum procurata & voluntaria, dummodo incendiarius non sit publicè denunciatus, tam si denunciatus est, reseruat S.P.
2. Idipsum de effraetore, & spoliatore ædium sacrum intelligi etiam voluntarium.
3. Homicidium voluntarium.
4. Monomachia, vel duellum, quo nomine contententur omnes pugnantes in duello, tum etiam qui vulgò dicuntur ipsorum patrini, & qui ad illud protocant scienter.
5. Coniugi mortem machinari, id est, re ipsa tentare, licet fortè non sequatur.
6. Procuratio abortivi, siue animati, siue inanimati.
7. Percussio Patris, vel Matris,
8. Profiteri vel exercere maleficia, veneficia, diuinationes ceterasque artes magicas, non vero Magos, aut diuinos consulere.
9. Profanatio, & impius vsus sacro-sanctæ Eucharistiæ, Chrimatis, & olei sancti.
10. Atrox & violenta percussio, cum multa sanguinis effusione in Ecclesia.
11. Fornicatio in Ecclesia.
12. Concubitus cum sanctimoniali.
13. Concubitus Confessarij cum pœnitente, & pœnitentis cum confessario.
14. Raptus virginum, vel mulierum honestè viuentium.
15. Incestus intra secundum gradum consanguinitatis, vel affinitatis.
16. Sodomiticum peccatum, & quod eo grauius est.
17. Sacrilegium, quo intelligitur furtum rei sacre in sacro loco, vel rei profanæ depositæ in loco sacro.
18. Crimen falsariorum, quo intelliguntur falsi testes coram iudice, & qui falsam cudunt monetam, & etiam qui falsant litteras Ecclesiasticas, modo tamè non sint litteræ aut bullæ summi Pontificis, harum enim falsificatio reseruat Papa, quando factum est notorium.

20. Simonia & confidentia occulta.

21. Promoueri ad ordines maiores, supposita alia persona, ad subeundum examen, vel falso, aut supposito titulo.



CAPVT IV.

DE SUSPENSIONE, DEPOSITIONE, & DEGRADATIONE.

ARTICVLVS I.

De natura, & effectibus suspensionis.

DVBIVM est 1. quid sit suspensio. *Respondeo* suspensionem esse censuram Ecclesiasticam, quia clericus impeditur ne functiones sui officij, aut beneficij exerceat. Ex quo patet 1. suspensionem proprie non cadere nisi in solos clericos, eum prius vsu potestatis Ecclesiasticæ, quæ non nisi solis clericis cõpetit.

Patet 2. suspensionem distingui ab excommunicatione, & interdicto, quia hæc priuant aliis bonis, aut iisdem sub alia ratione. Nam excommunicatio priuat bonis spiritualibus, quatenus habent rationem communicationis cum fidelibus, interdictum verò, vt sunt quædam participatio rerum sacrarum: suspensio autem, vt habent rationem functionis clericalis.

Dubium est 2. quotuplex sit suspensio. *Respondeo* esse multiplicem, nam 1. alia est à iure, alia ab homine, vt patet ex dictis, vbi de censuris in genere. 2. alia totalis, quæ nimirum suspendit ab omni officio, tam ordinis, quàm iurisdictionis, & à beneficio: alia partialis, quæ tantum ab altero suspendit, idque aut totaliter, vt si Sacerdos suspendatur ab omni officio Sacerdotali; aut solum partialiter, vt si suspen-

datas

datur tantum à celebratione Missæ. 3. alia est perpetua, alia ad tempus, siue certum, siue incertum.

Dubium est 3. quinam sint effectus suspensionis. *Respondeo* cum multiplici distinctione. Nam imprimis quæ absolute, fertur, seu sine limitatione, suspendit ab officio, & beneficio, cum necessario ab altero eorum suspendat, & non sit maior ratio, cur ab vno suspendat, quàm ab alio. Quæ verò absolute suspendit ab officio, prohibet omnes actiones proprias clericorum, siue sint iurisdictionis, siue ordinis, vt patet ex eadem ratione. At quæ suspendit ab aliquo officio determinato, non suspendit nisi ab actibus illius officij, & à coniunctis. Quia cum censura non faciat nisi quod significat, non est ratio cur ad alia extendatur. Vnde suspensus à iurisdictione, non est suspensus ab ordine, aut vice versa, nisi quando vnum includit aliud, vt fit in absolute à peccatis, quæ actus ordinis, simulque iurisdictionis includit. Suspendio tamen absoluta, seu totalis ab officio, non impedit quin ea ligatus possit sacro, & diuinis officiis interesse, aliaque præstare quæ à laicis fieri possunt.

Deinde absolute suspensus ab officio, non est eo ipso suspensus à beneficio, cum hæ sint pœnæ distinctæ: vnde potest illius fructus recipere si curet officium, quatenus ipse, ob censuram illud exequi non potest, fieri per alium.

Rursus suspensus nominatim ab exercitio ordinis inferioris, non videtur propterea suspensus ab vno ordinis superioris, siquidem non apparet ratio cur superior, qui Sacerdotem suspendit nominatim ab officio Diaconi, velit eo ipso illum etiam suspendere, ab omni officio Sacerdotali.

A fortiori suspensus ab ordine superiori, non censetur suspensus ab inferiori, cum ordo inferior à superiori non pendeat. Vnde Sacerdos suspensus à Sacerdotio, etsi nequeat sacrificare, absolueret, &c. potest tamen diaconatum exercere.

Præterea suspensus à beneficio non potest administrationem illius temporalem exercere, nec fructus illius percipere, alias ipso iure eo priuatur, at non propterea priuatur vsu iurisdictionis, ordinis, vel officij clericalis, adeoque nec iure conferendi beneficia, vel ad ea eligendi, ista enim non sunt fructus beneficii, sed potius actus officij beneficio annexi. Imò probabile est nouum beneficium ei posse validè conferri, esto talis collatio irritari possit.

Suspensus tamen à beneficio tenetur præstare officium, ad quod alias ratione beneficii obligatur, esto fructus illius non percipiat. Vnde probabile est præstantem officium lucrari fructus proportionatos, saltem si per ipsum non fiat, quin à suspensione absoluitur.

An autem suspensio ab officio, aut à beneficio nouum beneficium non modo illicitè, sed etiam inualidè conferatur, satis incertum videtur ob pugnantem hac de re auctororum sententias. Verùm quia pœna nō sunt extendendæ sine certo iure, ij probabilius sentire videntur, qui negant talem collationem ipso facto esse inualidam.

Dubium est 4. quanam personæ suspendi possint. *Respondeo* 1. omnes & singulas personas Ecclesiasticas, excepto Papa, suspensionis pœnam incurrere posse. Illud tamen priuilegium Episcopis, ob eorum dignitatem concessum est, vt generali sententia suspensionis, & interdicti non comprehendantur, nisi specialis eorum mentio fiat.

Respondeo 2. integram communitatem clericorum posse suspendi, vt si Capitulum suspendatur à iure quod habet conferendi aliquod beneficium, vel à iurisdictione quam alicubi exercet.

Vbi aduerte non posse sic communitatem suspendi, vt innocentes suspendantur ab officio sibi proprio. Vnde quamuis nequeant exercere actus ad communitatem immediatè spectantes, non tamen ob alienam culpam, exercitio proprii officij priuantur.

DH-

Dubium est 5. qua de causa censura suspensionis ser-
ri possit. *Respondeo 1.* hanc censuram non posse ferri
in aliquem, nisi ob culpam propriam illius: quia pœ-
na non infligitur nisi ob culpam propriam.

Respondeo 2. hanc censuram, cum sit pœna valde
gravis, vt pote priuans vsu ordinis, aut iurisdic-
tionis, aut beneficij, non nisi ob peccatum mortale infli-
gi posse. Sufficit tamen culpa venialis, vt quis in re
aliqua leuioris momenti suspendatur, vt si Diaconus
semel tantum ab exercitio sui ordinis priuetur, quia
negligenter, aut immodeste in illius vultu se gessit.

Dubium est 6. de duratione, & extensione huius cœ-
suræ. *Respondeo 1.* censuram latam cum temporis de-
terminatione, non cessare per se loquendo, nisi fini-
to eo tempore. Latam verò sine temporis determi-
natione, durare donec à superiore tollatur.

Respondeo 2. eum qui alicubi simpliciter suspen-
ditur ab officio, sine loci determinatione, censeri vbi-
que à tali officio suspensum. Vnde simpliciter sus-
pensus à celebratione sacri, nullibi potest celebra-
re. Quia proprium est censuræ vt personam afficiat,
ideoque eam sequatur vbi cumque existat.

Atque hinc non pauci colligunt, eum qui suspen-
ditur à beneficio absque loci determinatione, cense-
ri suspensum etiam à beneficio alibi existente. Proba-
bile tamen est suspensionem non adeo extendi, nisi
expresse declaretur.

Dubium est 7. de violatione huius censuræ. *Respondeo 1.*
suspensum peccare mortaliter per se loquendo, a-
gendo contra prohibitionem: quia præceptum Ec-
clesiæ violat in re graui. Verùm leuitas materiæ inter-
dum à mortali excusat, vt si suspensus ab officio, ora-
tionem semel in choro recitaret.

Respondeo 2. participantem cum suspensio tolera-
to, in ijs à quibus est suspensus, non peccare. Quia
nulla nunc est obligatio vitandi toleratum: at parti-
cipantem cum non tolerato, peccare mortaliter, ni-
si ex graui causa excusetur. Non tamen vllam censu-
ram

ram

ram incurrere, etsi participet cum eo, siue in prædictis, siue in crimine ob quod suspensus est: cum nullibi aliqua censura in illum, lata sit, esto ad rem malam & grauius prohibitam cooperetur.

Respondeo 3. si suspensus sit toleratus, gesta per illum valere, si verò non sit toleratus, actus quidem ordinis valere, non tamen iurisdictionis, nisi forte adsit titulus coloratus, & error communis.

Respondeo 4. solenniter exercentem ordinem maiorem à quo suspensus est, contrahere irregularitatem: secus si non sole mniter, aut si maiorem tantum ordinem exercentem actum iurisdictionis, cum actu ordinis minimè coniunctum, irregularitatem non contrahere.

Hinc Diaconus suspensus ab officio, non sit irregularis prædicando, nec subdiaconus cantando Epistolam sine manipulo, at neque huic pœnæ sit obnoxius suspensus conferendo beneficium aut eligendo ad illud: secus si Sacramentum pœnitentiæ administraret.

Dubium est 8. quid requiratur ad absolutionem à suspensione. *Respondeo* ad absoluendum ab hac censura, verba aliqua non esse determinata, adeoque absolutionem posse conferri sub hac verborum forma. *Absoluo te à vinculo suspensionis in quam incurristi, & restituo te ad executionem tui officii, vel ordinis, vel ad tuum beneficium.*

Neque est necessarium explicare causam suspensionis: oportet tamen in delictis grauibus petere iuramentum obediendi Ecclesiæ, item satisfactionem, vel cautionem.

Potest autem Episcopus absoluere à suspensione Papæ reseruata, orta ex delicto occulto, & ad forum contentiosum minimè deducto. Atque hac pauca sufficient de iis quæ spectant ad suspensionem in genere: nunc superest vt de singulis suspensionibus disseramus.

AB.

ARTICVLVS II.

De suspensionibus contra clericos latis ob malam ordinis susceptionem.

In primis clericus qui culpabiliter recipit ordines ab alieno Episcopo, sine licentia proprii, ab exercitio eiusmodi ordinum suspenditur, quamdiu ipsius Ordinatio visum fuerit. Potest tamen Episcopus sibi non subdinum ordinare, si sit illius familiaris, & cum eo integro triennio mansit; modo statim post ordinationem ei conferat aliquod beneficium, nisi habeat aliunde quo se alere queat.

II. Qui à proprio Episcopo recipit Ordines in aliena Diœcesi, absque licentia Episcopi illius loci, ab usu Ordinum ita susceptorum suspenditur: hæc tamen suspensio non est Papa reservata. Quod si sibi ordinatur ab alieno, sine dimissionis proprii, & sine licentia Ordinarij, duplicem suspensionem incurrit.

III. Recipiens etiam inculpatè Ordines ab Episcopo excommunicato, suspensio, vel interdicto, modo sit denunciatus ab usu eiusmodi Ordinum suspenditur. Dico, etiam inculpatè, quia talis defectus inductus est ob culpam Episcopi, cuius ordinationem Ecclesia irritare intendit, quantum potest; adeo ut etsi irritare nequeat ipsam Ordinis collationem, usum tamen Ordinis suscepti impediatur. Hæc autem suspensio à summo Pontifice relaxari debet.

IV. Qui ante legitimam ætatem sacrum aliquem Ordinem recipit, ab illius usu suspenditur, modo in ea susceptione peccet mortaliter, ac proinde siue ex ignorantia culpabili, siue ex certa scientia, & dolo, ad eam accedat. Hæc tamen suspensio ab Episcopo tolli potest.

V. Idem dicendum de eo qui sine dispensatione summi

summi

summi Pontificis suscipit sacros Ordines, extra tempora ab Ecclesia constituta: Episcopus tamen ab eiusmodi suspensione cum absolueret potest.

VI. Itemque de eo qui plures Ordines sacros eadē die, aut duobus diebus continuis, vel aliquem ex minoribus Ordinibus simul cum subdiaconatu suscipit. Quibus casibus ab usu Ordinis posterius suscepti suspenditur: verum eiusmodi suspensio Papæ est reseruata.

Nota eum qui diuersis quidem & non continuis diebus, sed non seruatis interstitiis plures Ordines suscipit, grauius peccare contra statutum Ecclesiæ, nullam tamen suspensionem incurrere. Porro interstitia ita computari debent, vt annus integer saltem Ecclesiasticus, inter duos Ordines susceptos intercedat, nisi Episcopus ex graui causa dispenderit.

VII. Clericus recipiens Ordinem sub ficto titulo patrimonij, aut beneficij, ab executione Ordinis suscepti suspenditur. Item qui ante ordinationem facit pactum cum Patrono presentante aut cum ordinante, non petendi aliquid vnde alij possit. Verum in priori casu suspensio tolli potest ab Episcopo; in posteriori autem summo Pontifici reseruatur.

VIII. Promotus ad Ordinem superiorem per saltum, id est antequam inferiorem receperit, suspenditur ab exercitio Ordinis suscepti, nec potest pratermissum suscipere, vel ad superiorem ascendere absque dispensatione; quæ ab Episcopo dari potest, modo ordinatus in suscepto Ordine non ministrauerit.

IX. Sacros Ordines illicitè suscipiens post matrimonium ratum, etsi non consummatum, nequit etiã matrimonio soluto, in suscepto Ordine ministrare. Hæcque suspensio est Papæ reseruata nisi quando coniugatus, qui matrimonio nondum consummato Ordines susceperat, religionem approbatam ingreditur, & in ea professionem emittit; tunc enim ab Episcopo absolui potest.

Dixi,

Dixit, *illicite suscipiens*, dantur enim nonnulli casus, in quibus potest maritus legitime ad Ordines sacros accedere vt si ex eius consensu vxor ipsius in Religione profiteatur, aut in seculo manens, sine periculo incontinentiæ, castitatem voueat, aut si ob adulterium illius, per sententiam ab ea quoad totum, & habitationem separatus sit.

X. Excommunicatus ob percussione[m] clerici, scienter Ordinem suscipiens, suspenditur ab vltimo illius. Imò hoc multi extendunt ad suscipiente[m] Ordinem in quacunque maiori excommunicatione. Constat autem suspensionem, ea de causa incursum, summo Pontifici esse reseruatam.

XI. Ordinarius simoniacè non solum suspenditur ab executione & ministerio Ordinis suscepti, sed etiam ab omni spe, & facultate ascendendi ad Ordines superiores, eaque suspensio est perpetua, nec nisi à summo Pontifice tolli potest.

XII. Suscipiens Ordinem sacrum ab Episcopo, qui Episcopatu renuntiavit, ab exercitio Ordinis suscepti suspenditur. Quod si in susceptione non intercessit scientia, vel ignorantia crassa & supina, ea suspensio ab Episcopo tolli potest; Æcus, à summo Pontifice duntaxat.

ARTICVLVS III.

De reliquis suspensionibus clericorum, quas ob alia delicta incurrunt.

XIII. CLERICVS tradens sepulturæ usurarium publicum & denunciatum, vel eius oblationes accipiens, ab officio suspenditur, ad arbitrium Episcopi. Oblationis autem nomine non comprehenditur, quod ministris Ecclesiæ tribuitur tanquam debitum, vt decimæ; vel quod iis datur in stipendium pro Missa celebranda, sed quod gratis illis, vel Ecclesiæ offertur.

XIV.

XIV. Sacerdos coniungens in matrimonium sibi non subditos, sine licentia Parochi illorum, vel eos benedicens tandiu suspenditur donec absoluatür ab Ordinario Parochi, qui matrimonio interesse debebat. Eaque suspensio absolute lata videtur totalis ab officio, & beneficio, iuxta superius dicta; quanquam aliqui putant restringendam esse ad officium Sacerdotale, quo assistens abusus est.

XV. Sacerdos Missam inchoatam, sine graui causa dimittere præsumens, suspenditur à corpore & sanguine Domini, quatenus scilicet hæc communio est propria Sacerdotis. Verùm hæc suspensio non est reseruata summo Pontifici. Eandem suspensionem incurrit per annum Sacerdos celebrans, qui non communit.

XVI. Qui, sede vacante, bona spectantia ad Prælatum defunctum, vel ad sedem, vel ad successorem occupant, inter se adiudunt, subripiunt, dilapidant, suspenduntur ab officio, & beneficio donec restituerint, & tandem illa suspensio est reseruata summo Pontifici. Huis autem suspensionis subiectum sunt, non tantum singulares personæ, sed etiam Conuentus, Capitula, & Collegia.

XVII. Eligentes indignum ad beneficia habentia curam animarum, suspenduntur per triennium à beneficiis, quæ in Ecclesia, contra quam delinquant, possident. Quod si Episcopus in hoc delinquit, priuatur potestate conferendi eiusmodi beneficia. Censetur autem indignus qui 23. ætatis annum nondum inchoauit, aut qui scientia, & bonis moribus non est commendatus.

XVIII. Qui, sede vacante, non arctatus beneficio obtento, vel obtinendo, cum litteris dimissoriis à Capitulo receptis, infra annum ordinatur, si maiorem Ordinem suscipit, ab eo ad beneplacitum futuri Prælati suspenditur; si uero minorem, nullo priuilegio clericali gaudet, præsertim in criminalibus.

XIX.

XIX. Suspenditur à beneficiis per triennium, opponens contra personam electam ad dignitates, personatus, & canonicas, si deficiat in Probationibus, nec prius nisi à summo Pontifice absolui potest. Dico, *contra personam*, hæc enim suspensio non est lata contra oppugnantem electionem, ob defectum eligentium, veì ipsius electionis, sed ob defectum personæ electæ, quem probandum in se suscipit; nec tamen plenè probat.

XX. Clerici eligentes aliquem ad beneficium, per abusum potestatis secularis, ipso iure priuantur, pro ea vice, eligendi potestate, & ab officiis, ac beneficiis suspenduntur per triennium. Qui verò tali electioni de se factæ consentit, neque illa gaudet, neque ad aliquam dignitatem, sine dispensatione eligi posse videtur, id est ad beneficia quæ iurisdictionem externam adiunctam habent. Ille autem abusus tunc contingit, quando electio fit cum interuentu, & auctoritate potestatis secularis, ad eam nullum ius habentis.

XXI. Compromissarius sciens indignum ad Episcopatum, vel aliam dignitatem superiorem Episcopatu, suspenditur per triennium à beneficiis, ad eam Ecclesiam, in qua fit electio, spectantibus. Ipsi verò compromittentes sciens consentientes in electionem indigni, priuantur potestate iterum eligendi, vel compromittendi.

XXII. Eligentes Episcopum, si intra octo dies ei electionem non præsentant, cum commodè possint, suspenduntur per triennium ab omnibus beneficiis, quæ in Ecclesia ad quam electio spectat, possident, nisi prius à summo Pontifice absolutionem obtineant.

XXIII. Clerici non denunciantes Superiori, eos qui præsumunt bona Ecclesiarum laicis submittere, suspenduntur per triennium à perceptione beneficiorum, quæ in Ecclesia sic grauata, obtinent.

XXIV. Suspenduntur à confessionibus audiendis, con-

confessarij qui non seruant formam à Congregatione Apostolica, circa confessiones audiendas praescriptam. Verùm hoc non habet locum nisi intra fines Episcopatus Romani, neque ea suspensio est reseruata. Quænam autem sit forma prædicta, latè explicant autores Itali, qui hæc de re consuli possunt.

XXV. Clerici qui ponte iuramentum de tenendo schismate præstant, à sacris Ordinibus, & dignitatibus suspenduntur. Verùm hæc suspensio non est reseruata.

XXVI. Suspenduntur à diuinis, aliasque pœnas incuriunt, tum qui docent etiam priuatim, B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali, tum qui in celebratione huius festi, alio quàm Conceptionis nomine, siue in Missa, siue in diuino officio vtuntur; tum qui eiusmodi opinionem, à sede Apostolica nondum apertè reprobata, damnare præsumunt.

XXVII. Clericus beneficiarius publicè vtens, sine gravi causa, vestibus virgatis, seu partitis, id est versicoloribus, suspenditur per sex menses à perceptione fructuum, nisi prius absolutionem à se de Apostolica obtineat.

Alia quædam suspensiones contra clericos à non nullis afferuntur, nempe contra simoniacos in beneficio, contra duellantes, contra concubinariorum, contra raptores mulierum, contra sodomitas, & contra publicos peccatores. Verùm alii probabilius existimant, suspensionem non esse latam contra clericos eiusmodi criminum reos, sed alias

pœnas ipsis esse impositas.

AR-

De
I. EPI
Ic
pendit
nisi inf
qui con
cet fid
bere ne
to, nisi
rente t
Superic
confer
II. P
æcessi,
person
ditur a
Episcop
uales
consec
III
Ordine
collatio
sua inte
poteff.
IV. P
dem di
à collat
tificæ ab
V. Ep
tione O
ficien
ab eo p
VI. Ep

ARTICVLVS IV.

*De nonnullis suspensionibus contra Episcopos,
aliosque Prælatos latis.*

I. EPISCOPVS conferens tonsuram infanti, qui scilicet nondum annum septimum attigit, suspenditur per annum à collatione primæ tonsuræ, nisi infans religionem ingrediatur. Idem dic de eo qui confert primam tonsuram illiterato, qui scilicet fidei rudimenta ignorat, quique legere, & scribere nescit. Item de conferente tonsuram coniugato, nisi in casibus iure concessis. Ac etiam de conferente tonsuram sibi non subdito, absque licentia sui Superioris. Quod si ei Ordinis maiores, vel minores conferat, suspenditur à collatione Ordinum.

II. Episcopus exercens Pontificalia in aliena Diœcesi, absque expressa licentia Ordinarij loci, aut in personas eidem Ordinario minimè subditas, suspenditur ab exercitio Pontificalium, id est ab actibus Episcopalibus, qui cum mitra, & baculo fieri solent, quales sunt collatio Ordinum, & Confirmationis, consecratio Virginum, templorum, &c.

III. Episcopus, vel alius primam tonsuram, vel Ordines simoniacè conferens; suspenditur ab eorum collatione, & à Pontificalibus, eique ingressus Ecclesiæ interdicitur: quas pœnas solus Papa remittere potest.

IV. Episcopus conferens duos factos Ordines eodem die, aut duobus diebus continuis, suspenditur à collatione vtriusque Ordinis, donec à summo Pontifice absolutionem obtineat.

V. Episcopus suspenditur per triennium à collatione Ordinum, si conferat Ordines non habenti sufficientem titulum, cum pacto, ut sic ordinatus nihil ab eo petat in defectum beneficij, vel patrimonij.

VI. Episcopus suspenditur per annū ab Ordine collato,

lato,

lato, si Nouitium ante emissam professionem ordinat: si verò professum, sine licentia sui Superioris ordinat, repellitur à communione aliorum, quod omnino videtur intelligi de communione cum aliis fidelibus, exceptis suis subditis, & non tantum de participatione aliorum Episcoporum, vt non pauci existimant.

VII. Episcopus iniuste ordinans inuitum suspenditur per annum à Missæ celebratione, secus si iuste, vt contingit quando clericus habet beneficium, quod functiones Ordinis exigit.

VIII. Episcopus talem consecrans Sacerdotem, qualem non debet, ordinationis ius vltius non habebit.

IX. Episcopus incurrit suspensionem per annum à confirmatione, & consecratione Episcoporum, quando electum ad Episcopatum, vel ad altiore dignitatem confirmat, vel consecrat, non præmissa Inquisitione, an is qui in causa electionis, appellauerat, ad sedem Apostolicam, & postea renūciauerat appellationi antequam præsentata esset sedi Apostolica, talem renunciationem fecerit absque simoniz prauitate. Quod ita intellige, vt confirmans sit suspensus à confirmatione, consecratione, confirmans verò & consecrans ab vtroque, nisi prius à sede Apostolica absolutionem obtineat.

X. Episcopus Missam inchoatam, sine graui causa dimittere præsumens, suspenditur à corpore & sanguine Domini, vt diximus præcedenti art. de Sacerdote, n. 15.

XI. Episcopi, vel alii admittentes resignationem beneficiorum, non seruata forma à Pio V. statuta in bulla quæ incipit, *Quanta Ecclesia*, suspenduntur à collatione, confirmatione, præsentatione quæ ipsis competit, nec possunt à tali suspensione absolui, nisi à Papa. Quod si interim actum à quo suspensi sunt exercent, excommunicationem à Papa reseruatam incurrunt.

parere non teneatur coram sede Apostolica. At clerici Prælatis inferiores, qui ob dictos fines curant personam Ecclesiasticam capi, eo ipso beneficiis obtentis sunt priuati.

ARTICVLVS V.

De aliis suspensionibus contra Episcopos, & iudices Ecclesiasticos latis.

XVI. PERSONA Ecclesiastica Episcopo inferior, Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis grauans, suspenditur ab administratione spiritualium, & temporalium, nec nisi facta restitutione pro damno illato, ab Episcopo absolui debet.

XVII. Episcopi, & alij Prælati qui subiiciunt laicis bona immobilia, aut iura Ecclesiarum, absque consensu Capituli, & speciali summi Pontificis licentia, suspenduntur ab officio, & administratione per triennium. Vbi nomine officij intelliguntur functiones tam ordinis quam iurisdictionis. Per administrationem vero intelligitur administratio bonorum beneficii, siue generatim omnium, vt verba censuræ indicare videntur, eum non distinguant; siue eorum tantum quæ Prælatus possidet in ea Ecclesia, cui iniuriam intulit, vt quidam probabilius existimant.

XVIII. Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesie, absque licentia Papæ, aut non seruata forma extrauag. *Ambitiose de rebus Ecclesie non alienandis*, à Paulo II. edita, suspenditur ab ingressu Ecclesie, & nisi intra sex menses resipuerit, priuatur administratione spirituali, & temporalis Ecclesie, vel Monasterij cui præsidet. At si sit Prælatus inferior, non modo excommunicationem incurrit, sed etiam priuatur ipso facto beneficiis, & officiis Ecclesiasticis.

XIX. Episcopus, vel Episcopo superior delegatus à sede

à sede Apostolica. in causa alienationis bonorum Ecclesiasticorum, suspenditur ab executione officii, si per gratiam, timore em vel sordes consentit vt bona Ecclesie alienentur, in damnum illius. Verum hæc suspensio non reseruat Papæ: si tamen Episcopus actum, à quo suspensus est, ante obtentam absolutio- nem exequitur, eo ipso irregularitatem Papæ refer- ratam contrahit.

XX. Episcopi, aliique Prælati iure ordinario su- os subditos visitantes, si occasione visitationis a. i- quid accipiant, præter victualia, duplum infra men- tum reddere tenentur. Alioqui si sint Patriarchæ, vel Episcopi, interdiciuntur ingressu Ecclesie, si verò is inferiores, ab officio, & beneficio suspendun- tur.

XXI. Episcopi, & Prælati Episcopis superiores, si tempore præscripto non accedant ad limina Apo- stolica, interdiciuntur ingressu Ecclesie, & ab admi- nistratione tam spiritualium, quam temporalium suspenduntur, nec non à perceptione fructuum sua- rum Ecclesiarum. Hæcque suspensio est Papæ refer- rata, etiam si præd. sti, post tempus elapsum, Rom in contulerint.

XXII. Episcopi, aliique Antistites Episcopis supe- riores, qui per se, vel per alios publicant, vel conce- dunt indulgentias, vel facultatem circa casus refer- atos, soluentibus certam pecuniæ summam, arcen- tur ingressu Ecclesie, & à perceptione fructuum sus- penduntur. Et hæc pœna reseruantur summo Pontifi- citati vt ab his absolui nequeant, nisi præuia satisfac- tione. Inferiores verò Episcopis, qui prædicta præ- stant, incurrunt excommunicationem Papæ reserua- tam.

XXIII. Archiepiscopus vel Episcopus relaxans in- dictam incendiariis pœnitentiam; 23. q. 8. c. pessi- mus, damnum restituere debet, & per annum ab of- ficio Episcopali suspenditur.

XXIV. Episcopi, aliique Prælati Episcopis su- perio-

periores, qui ex odio, gratia, vel amore aut lucro temporaliter omittunt procedere contra suspectos, vel difamatos de heresi, vel qui temerè vexant aliquem, imponendo illi notam, vel suspicionem heretis, suspenduntur ab officio per triennium. Inferiores verò excommunicationem Papæ reservatam incurunt, vt supra aduertimus.

XXV. Episcopus concubinarius qui non resipiscit, postquam à Concilio Prouinciali monitus fuit, ipso facto ab officio, & beneficio suspenditur.

XXVI. Episcopi, alique Prælati sine necessitate ingredientes Monasteria Monialium, prima vice interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ; secunda, suspenduntur à diuinis; tertia, excommunicationem incurunt.

XXVII. Episcopi, & iis superiores qui domos locant, vel aliter concedunt publicis, & sulariis extraneis, suspensionem ab officio, & beneficio incurunt; inferiores verò excommunicantur, & communitates interdicuntur. Et si per mensem obstinatè in iis censuris respectiue persistierint, eorum terræ ipso facto interdictæ manent.

XXVIII. Qui temerè sententiam excommunicationis ferunt, absque præuia competenti admonitione, & sine testibus idoneis præsentibus, per quos monitio probari possit, suspenduntur per mensem ab ingressu Ecclesiæ. Qui verò aliquam censuram ferunt sine scriptis, vel sine expressione causæ, vel requisiti non tradunt intra mensem exemplar sententiæ, ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officiis suspenduntur.

XXIX. Conseruatores clericorū, vel regularium Episcopis inferiores, à summo Pōtifice ad eorū defensionem constituti, ab officio conseruatoris per annum suspenduntur, si limites concessæ autoritatis excedant, ita vt licenter de aliis quàm de manifestis inuariis se intromittant. Et hæc suspensio cum sit lata ad tempus, summo Pontifici pro eo tempore censuræ reservata.

XXX. In-

XXX. I
tus, qui
men pa
gratiam
num sus
dinis q
XXXI.
Magister
Doctora
nitate Pe
ratam, v
ret se in
tuni Tu

De

I. ABB
dun
ordinem
beneficio
iam Eccl
II. Abl
bus, sine
annum à
III. Rel
ta, Prior
qui quou
modi loc
ab officio
est Papæ
IV. Pra
mensem
delicta in
tione eiu
suspensio

XXX. Iudex Ecclesiasticus Ordinarius, aut delegatus, qui contra conscientiam, & iustitiam in gravamen partis alterius, in iudicio quicquam facit per gratiam, vel per fordes, ab executione officii per annum suspenditur, quod intellige tam de officio Ordinis quam iurisdictionis.

XXXI. Suspenduntur à collatione Doctoratus, seu Magisterii per sex menses, illi omnes ad quos spectat Doctoratum, vel Magisterium conferre, etiam si dignitate Pontificali præfulgeant, si aliquem ad Doctoratum, vel Magisterium promoveant, priusquam iuret se in ea solemnitate, ultra tria millia argenteorum Turonensium non expensurum.

ARTICVLVS VI.

De suspensionibus ad Religiosos spectantibus.

I. ABBATES, & alii Prælati regulares qui concedunt dimissiones clericis secularibus, ut ab aliis ordinentur, suspenduntur per annum ab officio, & beneficio. Et idem dic de Collegiis, & Capitulis etiam Ecclesiam Cathedralium.

II. Abbates conferentes Ordines clericis secularibus, sine licentia eorum Ordinarii suspenduntur per annum à collatione Ordinum.

III. Religiosi præsidentes alicui Monasterio, Ecclesie, Prioratui seu administrationi, si concedant alicui quouis modo iura, redditus, aut possessiones eiusmodi locorum, sine grani causa, & Prælati consensu, ab officio suspenduntur. Hæc tamen suspensio non est Papæ reservata.

IV. Prælati Regularium non satisfacientes intra mensem, iis qui laxi fuerunt ab eorum Religiosis, ob delicta in *Clementina r. de privilegiis* prohibita, si ratione eiusmodi excessuum aliquid ad eos peruenit, suspensionem ab officio, & beneficio incurrant.

V. Religiosi solutionem decimarum Ecclesiis debitarum, iniuste impediunt, aut sibi usurpare praesumentes, si requisiti ab iis quorum interest, non desistant impedire intra mensem, aut intra duos menses non restituant, ab officiis, beneficiis, & administrationibus suspenduntur.

VI. Religiosi qui à Rectoribus Ecclesiarum, vel totum Vicariis requisiti, scienter praetermittunt contentibus conscientiam facere de soluendis decimis, ab officio praedicationis tamdiu manent suspensi.

VII. Religiosi pecuniam, vel munera in visitatione accipientes, praeter necessaria ad victum, suspenduntur ab officio & beneficio, nisi intra mensem duplum restituant.

VIII. Religiosi coniungentes in matrimonium, aut benedicentes sponso alienae Parochiae, sine facultate eorum Parochi; vel Ordinarii, suspenduntur ab officio, quamdiu tali Ordinario visum fuerit.

IX. Religiosi nunciantes, aliquem amittentes ad professionem, nondum expleto anno Novitatus, suspenduntur à receptione quorumlibet ad professionem eiusdem Ordinis.

X. Novitii nondum facta professione, ad sacros Ordines promoti, ab exercitio cuiusmodi Ordinem suspenduntur.

XI. Religiosi aliquem Ordinem suscipientes in Apostasia, ab illius exercitio suspenduntur, etià postquam suo Superiori sunt reconciliati, donec accedat absolutio sedis Apostolicae.

XII. Religiosi post professionem eiecti, perpetuo sunt suspensi ab exercitio Ordinum ita ut locorum Ordinarii talem suspensionem nec tollere, nec moderari possint.

XIII. Religiosi praesumentes introducere mulieres in Monasteria suspenduntur à diuinis, priuantur beneficiis, & ad illa inhabiles redduntur.

XIV. Monachi nigri non videntes habitum, iuxta for-

formam præscriptam in *Clementina 1. de statu Monachorum* suspenduntur per annum. Abbates quidem, & Piores non habentes proprium Abbatem, a collatione beneficiorum; inferiores vero ab administratione si quam habent; aut si carent, ad eam, & ad quodcumque beneficium redduntur inhabiles per annum.

XV. Hæc autem poena extenditur ad duos annos, respectu Monachorum nigrorum qui venationi, vel aucupationi clamorosa, quæ cum canibus, aut aibus peragi solet, ex proposito intersunt. Atque hæc de suspensionibus satis. Reliquum est ut aliquid dicamus de degradatione, & depositione, quæ aliquam habet similitudinem, cum suspensione.

ARTICVLVS VII.

De depositione, & degradatione.

DVPLEX est degradatio, alia verbalis, alia realis: *Verbalis*, quæ depositio dici solet, est poena Ecclesiastica, qua clericus, cum certa solemnitate verborum, priuatur in perpetuum omni officio, ac beneficio clericali, non autem priuilegio Canonis, aut fori. Hoc autem procedit de depositione totali, præterquam de partiali, perquam clericus priuatur tantum officio, aut beneficio.

Realis vero seu actualis degradatio est, quando clericus primo verbaliter degradatus, spoliatur vestibus omnibus, ac signis clericalibus, omnique priuilegio clericali. Cæterum hæc poena non nisi clericis in sacris constitutis infligi solet, etsi etiam inferioribus imponi possit.

Vnde clericum depositum percutiens incurrit excommunicationem, non autem percutiens realiter degradatum. Si tamen depositus sit damnatus ad trimeses, Magister trimesis eum ex officio percutiens, non ligatur excommunicatione.

L 4

Realis

Realis degradatio est ordinariè irremissibilis, fo-
lusque Papa ex absoluta potestate eam auferre po-
test. Quam per eumque fit vt degradatus tradatur bra-
chio seculari, etiam morte plectendus, quando scili-
cet crimen est valde graue & extraordinarium.

Loquor de reali degradatione nam in verbali e-
riam totali, facta ob adulterium, vel crimina adulte-
rii minora, Episcopus cum clerici, post peractam
pœnitentiam, dispensare potest.


Depositio verbalis ita fieri debet, vt si Episcopus
fit deponendus Metropolitanus cum aliis duodecim
Episcopis sententiam ferat. Si sacerdos sit deponen-
dus, sufficit quod cum proprio Episcopo conueniant
sex alii Episcopi si Diaconus, vel subdiaconus, tres:
si in minoribus constitutus, sufficit. Episcopus cum
Capitulo.

Verùm ex iure nouo causa Episcopi est Papæ reser-
uata, aliorum autem causam solus Episcopus per se,
vel per suum Vicarium Generalem cognoscere po-
test, eosque verbaliter deponere.

Quod si addenda est depositio aetnalis seu realis,
Episcopus per seipsum eam exequi debet, assistenti-
bus duodecim Abbatibus infulatis, vel aliis perso-
nis in Ecclesiastica dignitate constitutis.

Præterea degradatio realis eam exigat solemnita-
tem, vt degradandus iudutus vestibus sacris sui Or-
dinis, & portans eiusdem Ordinis instrumenta, ad-
ducatur ad præsentiam Episcopi, & ab eo illis publi-
cè exuatur, & radatur prolatis verbis huius pœnæ ef-
fectum declarantibus.

Si degradatione facta deprehenderetur eam fuisse
iniustam, tunc degradatus ab Episcopo restituendus
esset, non tantum verbaliter, sed etiam realiter,
per traditionem vestium sacrarum ei
ablatarum.



CAPVT V.
DE INTERDICTO.

ARTICVLVS I.

*De natura interdicti, & variis illius
speciebus.*



INTERDICTVM est Ecclesiastica censura, qua homo priuatur vsu quorundam Sacramentorum, vel officiorum diuinorum aut Ecclesiastica sepultura, quatenus illa sunt quaedam participatio rerum factarum. De quibus effectibus sigillatim postea agetur.

Dico, *vel officiorum, &c.* Isti enim effectus possunt, etiam ab Episcopo separari, ita vt aliquem interdicit ab officio Sacerdotali, non à sepultura, sicut potest aliquem suspendere ab officio, et si eum non suspendat à beneficio.

Non tamen potest Episcopus aliquem excommunicando, effectus excommunicationis in eo separare. Quare verba interdicti diligenter attendenda sunt, quia absolutè latum, ad omnes effectus extenditur; latum verò cum restrictione ad quendam effectum, ad alios extendi non debet.

Interdictum triplex est, locale, personale, & mixtum. *Locale* dicitur, quod immediatè locum ipsum afficit, ita vt nemo possit in tali loco officia diuina persolvere, vel audire. *Personale*, quod personas ipsas vt cum aliquis prohibetur diuinis interesse, vbicumque sit. *Mixtum*, quando locus & persona immediatè interdicuntur.

Vbi nota sub interdicto locali non comprehendì personale, aut vice versa: Excipe, nisi cum aliquis dedit causam interdicto, tunc enim loco interdicto,

cenfetur etiam interdicta persona, quæ culpabiliter illius caufa fuit, ita vt neque ibi, neque alibi facris intereffe poffit.

Interdictum locale rursum duplex eft, generale, & Speciale. *Generale* eft quo interdicitur locus vniuerfalis, vt Regnum, Prouincia, Diœcefis, ciuitas, villa, vel castrum. *Speciale*, quo interdicitur aliquis locus a prædictis diftinctus, vt fi templum aliquod particulare vrbs, in qua funt varix Ecclefiæ, interdicitur.

Eodem modo interdictum personale aliud eft generale, aliud speciale: *generale* habet locum, quando totus aliquis populus vel regni, vel prouinciæ, vel vrbs &c. interdicitur. *Speciale*, quando tantum pars aliqua populi interdicitur vt fi aliquod vrbs Collegium, aut Capitulum, vel aliqua illius persona particularis interdicitur.

Probabile eft clero alicuius Ciuitatis à Papa interdicto, effe etiam interdictos Regulares ibi commorantes, quia cum tota ciuitas diftinguatur in populum, & clerum, regulares sub clero comprehenduntur. Oppofitum tamen videtur probabilius, tum quia in odiosis Religiofi non comprehenduntur sub nomine cleri, tum quia idem corpus proprie cum clericis fecularibus non conftituunt fi eos excipias qui beneficium aliquod pastorale habent. Vnde dicendum Religiofis interdictis, non cenferi clericos interdictos.

Eodem modo fi interdicitur clerus alicuius loci, non cenfetur interdictus populus, aut vice verfa. Quia nomine cleri intelliguntur personæ Ecclefiastica, populus verò non nisi laicos comprehendit.

Interdicta familia, non eft interdictus qui post interdictum fit de nouo pars illius; at interdicta communitate, qui fit membrum illius, interdictus manet. Ratio difcriminis assignatur, quia cum interdictam familia fit speciale, personæ illam conftituentes funt interdictæ fecundum fe, non autem vt familiam cõ-

rituant.

stituunt Quare ad eam accedens non ligatur interd-
dicto iam lato At interdictum communitatis, cum
sit generale, afficit personas illius vt communitatem
constituunt, adeoque ad eos extenditur qui tali cō-
munitati se aggregant.

Vnde collige, si quis ex familia interdicta alio rece-
dat, cum manere interdictum, si autem pars commu-
nitatis interdicta alio transfert domicilium, eam lic-
beram manere, quia non spectat amplius ad eam cō-
munitatem, quæ per se interdicta fuit.

Quando fertur interdictum in aliquam commu-
nitatem, non tantum ciues illius presentes, sed etiã
absentes subiacent interdicto, cum verè sint pars il-
lius communitatis. Et similiter interdicto populi
ciuitatis, censentur interdicti habitantes in suburbi-
is, si ad eundem populum spectent.

Habens duo domicilia, vnum in loco vbi totus po-
pulus est interdictus, aliud in alio, est interdictus,
quando manet in priori, non quando in posteriori.
Extraneus tamen non subiacet interdicto populi,
cum quo ad tempus commoratur.

Interdicta ciuitate censentur interdicta suburbia,
etiam si forte alteri superiori aut temporaliter, aut
spiritualiter sint subditi. Item Ecclesiæ Regularium
exemptorum in iis ciuitatibus, aut suburbiis con-
structæ, modo interdictum locale sit generale. Hos
enim merito à summis Pontificibus statutum est,
quia alioqui interdictum illud esset inutile, eo quod
quilibet posset in suburbiis, vel in Ecclesiis Regula-
rium diuinis interesse.

Interdicta Ecclesia, capellæ & cœmeteria conti-
gua sunt interdicta, secus si non sint contigua; quia
sic non sunt pars illius. Dicitur autem cœmeterium
Ecclesiæ contiguum, quando inter illud, & murum
Ecclesiæ nihil interiacet.

Quando terra alicuius generatim interdicitur, nõ
solum in eas terras interdictum cadit, quarum ha-
bet dominium proprietatis, & usufructum, sed
etiam

etiam in eas quarum solum vsumfructum habet: quia ipsemet censetur puniri tali interdicto. Non tamen in eas quas, retento dominio directo, alicui in emphyteusim, aut feudum dedit.

Aliqui dicunt, si terra quæ subiacet interdicto vendatur, eam manere interdictam post venditionem, quia terra cum suo onere transit. Verum hoc aliis non probatur, nisi quando non solum terræ dominus, sed etiam incolæ causam dederunt interdicto. Quia cum terra interdicatur, ut delinquens puniatur, & corrigatur, nimis durum videtur, quod interdictum post iurisdictionem maneat, si eam incolentes causam interdicto non dederunt.

Quod si Dominus terræ interdictæ terram non interdictam acquirat, aliqui putant eam subiacere interdicto, quia fit pars terræ interdictæ. Alii tamen oppositum docent, quia nec fauores, nec pœnæ debent ad futura extendi: quod non satis consequenter ab iis dictum videtur, cum interdictum extendat ad eos, qui postea fiunt de communitate.

Episcopus ferens interdictum locale, subiacet interdicto ex iure communi, in quo dispensare nequit: adeoque nec ipse, nec eius superior, præter summum Pontificem, potest in tali loco officia diuina persolvere: sicut Episcopus qui aliquem excommunicauit, non potest ex eodem iure, cum eo communicare.

ARTICVLVS II.

De Primo effectu interdicti.

ETSI locus aliquis sit interdictus, possunt in eo administrari Sacramenta Baptismi, & Confirmationis, cum solita solemnitate. Vnde & chrisma confici potest in die cœnæ Domini, ianuis clausis, & sine pulsu campanarum. Potest etiam fieri benedictio, cum eadem moderatione.

Liga-

Ligatus interdicto personali generali, cui causam non dedit, potest Baptismum ministrare etiam solemniter. At si tali interdicto causam dedit, aut specialiter sit interdictus, non potest nisi in necessitate & priuatim.

Similiter potest Confirmationem administrare, ligatus interdicto generali personali, cui causam non dedit: at non si illi causam dedit, aut specialiter sit interdictus. Et idem de receptione confirmationis sentiendum est.

Tempore interdicti localis siue generalis, siue specialis, Eucharistia in mortis discrimine, ex quacunque causa constitutis, cum solita solemnitate conferri potest: non aliis secluso speciali priuilegio. Vnde etsi tempore interdicti liceat diuinis officiis interesse in Paschate, non tamen ad Eucharistiam accedere, etiam ad implendum præceptum annuæ communionis.

Quilibet Sacerdos habens aliàs ius administrandi Eucharistiam, potest tunc morituro eam conferre: modo ipse non dederit causam interdicto, aut non sit specialiter interdictus; nisi fortè non adsit alius qui morituro Eucharistiam porrigere possit, neque ipse ab interdicto absolui queat.

Personaliter interdictus potest Eucharistiam recipere in articulo mortis, non aliàs, secluso priuilegio. Verùm si causam dedit interdicto personali generali, aut specialiter interdictus est, debet satisfacere, si potest, aut si nequit, dare cautionem, antequam Eucharistiam recipiat. Imò non debet Eucharistiam sumere, nisi post absolutionem ab interdicto, quam à quouis Sacerdote in eo articulo obtinere potest.

Licet Sacramentum Pœnitentiæ administrare tempore interdicti, aut cuicumque interdicto. Si tamen recipiens dedit causam interdicto, aut specialiter est interdictus, nõ est absoluendus nisi præmittat satisfactionem, aut si non potest satisfacere, cautionem.

Tempore interdicti localis, potest Sacerdos qui ei causam non dedit, administrare Sacramentum poenitentiae in loco interdicto. Potest etiam absolueret confessarius ligatus interdicto generali personali, cui causam non dedit: secus qui specialiter interdictus est, nisi in necessitate. Quod si absoluat, aliqui dicunt absolutionem non valere; alii vero oppositum sentiunt, quia per interdictum non priuatur iurisdictione.

Tempore interdicti localis siue generalis, siue specialis nulli est administranda extrema unctio in loco interdicto. Persona autem siue generaliter, siue specialiter interdicto personae ligatae, nullibi hoc Sacramentum sumere debent.

Sacramentum Ordinis ab interdictis nec recipi, nec conferri potest: & similiter nemo potest hoc Sacramentum in loco interdicto recipere, vel administrare. Unde nec Episcopus qui tulit interdictum, potest ibi ordinare.

In interdicto tamen generali populi, possunt clerici, cum sub hoc interdicto non comprehendantur, ut supra diximus, vltiores Ordines recipere non modo in alio, sed etiam in eodem loco. Imo si interdictum sit locale, possunt siue laici, siue clerici qui ei causam non dederunt, alibi ordinari.

Et si nonnulli existiment matrimonium licite tempore interdicti, vel à personis interdictis celebrari; oppositum tamen videtur probabilius & tutius, eo quod iura quae prohibent perceptionem Sacramentorum tempore interdicti, nisi in quibusdam casibus exceptis, matrimonium non excipiunt; neque vlla ratio affertur quae cogat, ut illud excidere debeamus, nisi forte opposita consuetudo obstet.

Matrimonium tamen cum sit contractus valide tunc etsi non licite celebratur, at sponsalia cum non habeant ratem Sacramenti, sed tantum contractus humani qui nullo iure interdicti tempore prohibetur, non modo valide sed etiam licite tunc peraguntur. AA.

ARTICVLVS III.

De secundo effectu interdicti.

TEMPORE interdicti localis generalis non licet celebrare Missas, aut diuina officia publice in loco interdicto. Licet tamen tunc ea celebrare priuatim ianuis clausis, voce submissa, sine pulsu campanarum, vel organorum sono, exclusisque excommunicatis, & interdictis.

Quando interdictum locale est generale, licet quotidie celebrare Missam modo dicto; si vero sit speciale, id non licet nisi semel in Hebdomada, nimirum ad renouandam Eucharistiam. Quare vbi non solet seruari Eucharistia, nec semel licet.

Quod si interdictum sic personale, siue generale, siue speciale, personarum interdictarum non possunt sacrum facere, vel ei assistere.

Et si tempore interdicti generalis non liceat pulsare campanas ad officia, vel Missam, licet tamen ad concionem, ad salutationem Angelicam, & ad comitandam Eucharistiam, cum ad infirmos defertur.

Ino sunt quedam solemnitates, in quibus licet tempore interdicti localis generalis celebrare Missas & diuina officia publice, etiam admissis interdictis, qui causam dederunt interdicto, modo longè distet ab altari. Nempe festa Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis, & Conceptionis B. V.

Communis est sententia festa Natiuitatis, Paschæ, & Pentecostes non comprehendere nisi vnum diem. Aliqui tamen putant singula hæc festa duos, aut tres dies complecti, adeoque toto eo tempore officia diuina, & Missas celebrari posse. Eo vel maximè quia dies festiuitatis Corporis Christi, & Conceptionis conceduntur cum Octaua.

Aliqui dicunt, licitum esse laicis tempore interdicti communicare iis diebus solemnibus, quibus possunt

possunt

possunt Missæ, & officiis interesse Verùm probabilius, & tutius videtur, non alia eo tempore sumi posse Sacramenta quam quæ extra hos dies recipere licet.

Tempore interdicti localis generalis, possunt admitti ad diuina officia quæ secretò fiunt, omnes clerici non coniugati, modo non dederint causam interdicto, vel aliàs impedimentum non habeant.

Eodem tempore non tantùm clerici, & Religiosi tenentur diebus festis sacro interesse, sed etiam ex probabiliori & communiore sententia, laici qui habent priuilegiũ assistendi tunc diuinis officiis. Quia cum iam respectu illorum impedimentum interdicti sufficienter ablatum sit, nulla est ratio cur non teneantur præcepto Ecclesiæ satisfacere.

Possunt etiam famuli, in comitatu dominorum habentium priuilegium, sacris interesse: quod tamen extendi non debet ad eos, qui causam interdicto culpabiliter dederunt.

Aliqui dicunt posse non interdictum audire Missam Sacerdotis nominatim interdicti, modo eum non inducat ad celebrandam: oppositum tamen videtur probabilius, & securius.

ARTICVLVS IV.

De tertio effectu interdicti.

PER interdictum generale locale prohibitum est, ne quis in tali loco habeat Ecclesiasticam sepulturam, nisi sit persona à iure exempta, vel speciale habeat priuilegium ab homine.

Vnde tempore talis interdicti non possunt fideles siue adulti, siue infantes sepeliri in Ecclesia consecrata, aut benedicta, neque in cœmeterio benedicto, inibi existente.

Clerici tamen qui seruarunt interdictum, nec ei causam

causam dederunt, possunt sepeliri in Ecclesia, etiã cū officio Missæ, & defunctorū, dummodo id fiat submissa voce, ianuis clausis, sine pulsu campanarum, &c. Quod si expleto officio, corpus in cœmeterium extra Ecclesiam deferendum sit, id in silentio fieri debet: quomodo etiam per vias ad Ecclesiam defendendum est.

Nomine clericorum intelliguntur omnes clerici, qui gaudent privilegio clericali. Item: Religiosi non modo professi, sed etiam Nouitij. Quare ii omnes tempore interdicti generalis locatis, sepeliri possunt in loco sacro modo prædicto.

Aliqui probabiliter putant, eum qui ex privilegio potest tempore interdicti, diuinis officiis interesse, posse etiam in loco sacro sepeliri. Verum cum tres effectus interdicti numerentur vt distincti, privilegium ex probabiliori sententia, non debet extendi ab vno ad alium. Vnde et si liceat celebrare solemniter officia diuina in supradictis festiuitatibus, non sequitur quod tunc moriens possit in loco sacro sepeliri.

Laici qui tempore interdicti moriuntur, debent sepeliri in loco aliquo non benedicto. Quod si in loco interdicto sepulti sunt, debent exhumari vt alibi sepeliantur. Si tamen non sunt specialiter interdicti, nec causam culpabiliter dederunt interdicto, possunt transferri ad locum non interdictum, ibique Ecclesiastica sepultura frui.

Laiens qui tempore interdicti, sepultus est in loco non sacro, cessante interdicto potest transferri ad locum sacrum, saltem si non dedit causam interdicto, aut quamuis dederit, si pœnitens decessit.

Sepulture prohibitio non tantum habet locum in interdicto locali generali, sed etiam, & multo magis in speciali. Clerici tamen Ecclesiæ specialiter interdictæ, possunt in ea sepeliri, imò & ex multorum sententia, clerici extranei.

Et si

Etsi iura prohibeant ne personæ, quæ interdicto generali personali subiacent, officia diuina audiãnt, aut Sacramenta recipiant, non tamen propterea eas priuant Ecclesiastica sepultura.

Quod si interdictum personale sit speciale, certum est eo ligatum, siue sit laicus, siue clericus, non posse antequam absoluator, in loco sacro sepeliri; modo speciatim denunciatus sit interdictus.

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non potest in Ecclesia diuina officia audire, vel celebrare, nec frui Ecclesiastica sepultura, si impœnitens moriatur. Poterit tamen sic interdictus, in priuato oratorio facere, vel audire Sacrum.

Non pauci putant eiusmodi interdictum posse Sacramenta in Ecclesia recipere, quando diuina officia non recitantur; quia interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non est priuatus vsu Sacramentorum, sed tantum vsu diuinorum officiorum, & sepulturæ. Verum quia hæc ratio ex nullo iure probatur opposita sententia nobis probabilior videtur; cum enim quis ab ingressu Ecclesiæ simpliciter interdictus est, non est ratio cur p. r. se loquendo, magis ei liceat in Ecclesia Sacramenta recipere, quam diuinis officiis interesse.

Propter interdictum non priuatur quis vsu iurisdictionis exterioris; Vnde potest interdictus etiam denunciatus, excommunicare, & ab excommunicatione absolueri.

ARTICVLVS V.

De peccatis, & pœnis violentium interdictum,

IN primis violare interdictum in materia Sacramentorum, est ex genere suo peccatum mortale. Quod non tantum verum est, quando interdictum est personale speciale, sed etiam quando est personale generale, aut tantum locale.

Clerici

Clerici verò qui in materia prædicta violant interdictionem, irregularitatem contrahunt. Censentur autem violare, tum si ipsi interdicti Sacramenta prohibita administrent, tum si cum non sint interdicti, administrent in loco interdicto; at non, ex probabiliore sententia, si Sacramentum conferant personæ interdictæ, quando nec locus, nec ipsi sunt interdicti. Quia talis pœna nullibi in iure infligitur.

Verùm in hoc ultimo casu, etsi conferens Sacramentum non fiat irregularis, imponitur illi ipso iure interdictionem ab ingressu Ecclesiæ. Quod intellige, modò Sacramentum suscipiens sit denunciatus.

Similiter ut incurratur irregularitas, administrando in loco interdicto, oportet ut tale interdictionem sit publicè denunciatus. At interdictionem Sacramentum conferens, irregularitatem contrahit, etsi ipse denunciatus non sit.

Non tamen incurritur irregularitas à clericis administrantibus Sacramentum aliquod, cuius usus non requirit actum Ordinis, ut si Sacerdos interdictus priuatim aliquem baptizet. Vnde à fortiori Parochus interdictus assistens Sacramento matrimonii, irregularitatem non contrahit.

Etsi incurratur irregularitas modis iam dictis, propter usum actiuum Sacramentorum, qui est actus Ordinis, non tamen propter usum passiuum, seu receptionem eorum.

Secundò clerici violantes interdictionem, in materia diuinorum officiorum, per se loquendo peccant mortaliter. Quod non tantum habet locum in aliis interdictionibus, sed etiam suo modo in generali locali, ita ut clerici peccent grauiter, si in celebratione officiorum non seruent conditiones supradictas.

Imò ommissio vnus ex illis conditionibus, videtur sufficiens materia ad peccatum mortale, ut si tem-

poris

pore interdicti localis generalis, officia diuina ianuis apertis recitatur: quod verius existimo, etsi forte nullus ingrediatur. Excusat tamen à mortali peccata materia, vt si ianua valde exiguo tempore sit aperta, quando officium recitatur.

Dixi tempore interdicti localis generalis, nam quando interdictum locale est speciale, incurritur irregularitas officia celebrando, etiam ianuis clausis, & sine pulsu campanarum.

Rursus clerici violantes interdictum in materia iam dicta, incurrit irregularitatem. Verum ad incurrendam hanc poenam, ob violationem interdicti localis, debet locus interdictus esse denunciatus.

Requiritur etiam vt clericus exerceat actum sui Ordinis, eo modo quo à laicis exerceri non potest. Vnde subdiaconus cantans solemniter epistolam tempore interdicti, fit irregularis, non autem si non solemniter, seu sine manipulo canat.

Item sacerdos fit irregularis, celebrando in loco interdicto. Imo & Episcopus, si celebret in loco à se interdicto, antequam interdictum tollat: at exercens minores Ordines, ex multorum sententia, irregularitatem non contrahit.

Incurrunt quoque clerici priuationem electionis actiua, & passiuæ, violando interdictum, modo iam explicato, ita vt neque eligere, neque eligi possunt. Ac præterea possunt per sententiam iudicis, affici aliis poenis, vt priuatione beneficiorum, &c.

Clericus non interdictus celebrans coram personaliter interdicto, non fit irregularis. Idem dici potest si celebret coram suspenso, vel excommunicato, etiam vitando.

Non tamen dubium est, quin peccet mortaliter communicans cum nominatim interdicto, in iis quæ specialiter ipsi prohibita sunt. Imo clericus sic communicans interdicatur ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciat ad arbitrium illius, qui tulit interdictum.

Dico,

Dico, cum nominatim interdicto, nam si quis non sit nominatim interdictus, sed denunciatus, non est peccatum cum eo communicare in predictis. Ceterum ex communi sententia, quando fertur personale interdictum, contra aliquam communitatem, singulæ personæ eam constituentes censentur nominatim denunciatae interdictæ, adeoque sunt vitandæ.

At neque ille irregularitatem contrahit, etsi graviter peccet, qui Missam, aut divina Officia audit in loco interdicto: aut qui facit ut sacerdos interdicto, aliaue censura affectus coram se celebret: vel ut non interdictus coram se interdicto, aliaue censura inuito Sacrum faciat.

Tertio qui interdictus, aut suspensus est ab ingressu Ecclesiæ, sit irregularis, si in Ecclesia celebret, non autem si extra Ecclesiam, vel in oratorio privato sacrum faciat: nisi etiam suspensus sit à divinis.

Peccatum est ex se mortale, violare interdictum in materia Ecclesiasticæ sepulturæ. Incurritur etiam ipso iure maior excommunicatio, tum ab iis qui aliquem sepeliunt in loco nominatim interdicto, tum ab iis qui nominatim interdictum sepeliunt in loco sacro.

Deinde clerici in funere exercentes proprium aliquem actum Ordinis, incurrunt irregularitatem.

Probabile etiam est fidelem sepultum in loco sacro, contra interdictum exhumandum esse quamdiu viget interdictum, etsi aliqui oppositum sentiant.

ARTICVLVS VI.

De interdictis in particulari, qua iure ipso contrahuntur.

In primis interdictum locale generale incurritur, tum quando dominus terræ iniuriosè Episcopum percutit, capit, aut hæc fieri mandat; tum quando impedit ne Legatus, aut Nuncius Apostolicus officium suum exequatur: tum quâdo ciuitas aliqua exigit ab Ecclesiasticis pedagia, vel quidaglia de rebus ipsorum exportandis, vel importandis: tum quando ciuitas aliqua, vrbe excepta, consentit in necem, aut percussionem Cardinalis: tum si ciuitas Episcopum iniuriosè bannierit, occiderit, &c.

Secundò incurritur interdictum speciale locale, tum, quando Episcopus in loco aliquo speciali, vt in castro ab omni populo remoto, per vim detinetur: tum quando clerici, aut Religiosi inducunt aliquè ad iurandum, vt in eorum Ecclesia eligat sepulturam: tum quando hæreticus scienter traditur Ecclesiastica sepulturæ.

Tertiò interdictum personale generale incurritur ab vniuersitatibus, concedentibus vsurariis extraneis habitationem, aut concedentibus repræsalias, vel concessas ad clericos extendentibus, aut imponentibus, vel exigentibus decimas, seu tallias ab Ecclesiasticis; aut resistentibus statutis à summo Pontifice, circa diuisionem Episcopatus Tholosani. Incurritur etiam ab vniuersitate, & Capitulo quod non obseruet constitutionem Ioan. XXII. Circa fructus vacantium beneficiorum: aut quod à sententia summi Pontificis, ad futurum Concilium appellat: aut quod sede vacante, infra annum dimissorias concedit, nisi quis ratione beneficii sit ordinandus.

Quartò interdictum personale speciale incurritur,
Iudex

Iudex Ecclesiasticus ferens censuram contra *C. Medicinalis*, de *sententia excommunicationis in 6.* aut ferens excommunicationem non præmissa monitione. Recipiens dignitatem, vel Abbatiam de manu laici Episcopus, vel alius sibi vsurpans ex redditibus Ecclesiæ vacantis. Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesiæ. Violans interdictum locale ab homine, vel à iure. Episcopus, aut Superior Prælatus in visitatione recipiens ultra ea quæ iis debentur. Iudices Ecclesiastici priuantes beneficiis officiales Romanæ Curiæ, vel alios pro negotiis suis ad eam profectos. Clerici in sacris constituti, qui in crimine fornicationis jacent Prælati edentes commentaria in Tridentinum. Ac denique ii qui culpabiliter causam dederunt interdicto locali generali.

Nota 1. quantum in his casibus se extendat interdictum, ex authoribus qui ista latè tractant sumi posse 2 etsi quis ipso iure incurrat interdictum, cum vitandum non esse, nisi sit denunciatus.

ARTICVLVS VII.

De oblatione interdicti.

Interdictum ferri potest, vel in puram pœnam ob peccatum inere præteritum, vel per modum censura ob contumaciam præsentem. Quando fertur priori modo: non solet ferri nisi cum limitatione temporis, quo elapso cessat, nec ante auferri potest nisi per relaxationem superioris. Idem dic si fertur sub conditione, quod hoc, vel illud fiat, tali enim conditione posita, cessat sine alia relaxatione.

At quando interdictum fertur posteriori modo, necessaria est absolutio, si fertur absolute: si autem sub conditione, tunc etsi probabile sit, posita eiusmodi conditione, interdictum cessare, probabilius tamen est adhuc requiri absolutionem.

Interdictum locale siue generale, siue speciale
cum

cum adhæreat solo, non tollitur destructo loco. Vnde diruta Ecclesia interdicta, non possunt corpora in illius solo sepeliri.

Interdictum personale generale tollitur, dissoluta communitate interdicta, etsi alio qui personæ ipsa quæ communitatem constituiebant, remaneant. Manent tamen interdicti ex ea communitate, qui causam dederunt interdicto.

At interdictum personale speciale non tollitur persona destructa: Vnde si personaliter interdictus ante absolutionem moriatur, debet relaxari interdictum quoad viuentes, vt scilicet cum in loco sacro sepelire possint.

Potest Episcopus tollere interdicta localia, & personalia generalia quæ iure communi imposita sunt, & non reseruaata. Porro nullum iuris interdictum locale est Papæ reseruaatum. At interdictum personale generale cæsetur reseruaatum, quando fertur sub limitatione temporis, vel alicuius conditionis. Vnde non potest Episcopus in eo dispensare, ante aduentum temporis, vel conditionis: nisi ex delicto occulto proueniat.

Quamuis possit Episcopus tollere interdictum locale positum a iure, non tamen latum à Papa, tanquam ab homine.

Non potest Parochus, vel alius simplex confessarius tollere interdictum locale, aut personale generale, potest tamen absoluerè ab interdicto personali speciali, nemini reseruaato.

Habens priuilegium absoluendi à censuris, in foro tantum pœnitentiæ, non potest tollere interdictum locale, aut personale generale:

at potest absoluerè ab interdicto
personali speciali, etiam
reseruaato.

ARTICVLVS VIII.

De cessatione à diuinis.

Cessatio à diuinis est simplex prohibitio, qua ministri Ecclesiæ prohibentur persolvere diuina officia, ministrare sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro.

Non incurritur à iure, ipso facto, sicut interdictum, sed tantum comminatoriè fertur. Et eam violans non incurrit irregularitatem, sicut incurrit violans interdictum, esto grauius peccet.


Non licet tempore cessationis specialis, officia diuina publicè recitare, aut Missam celebrare. Nec tempore cessationis generalis, etiam in iis festiuitatibus quibus tempore interdicti generalis id licet.

Licet tamen tunc semel in hebdomada, celebrare sacrum cum vno ministro, ad renouandam Eucharistiam, propter infirmos, ne species putrefiant.

Tempore cessationis, possunt administrari in periculo mortis, Sacramenta Baptismi, Cōfirmationis. Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Imò, ex multorum sententia, pœnitentia extra periculum mortis.

Non tamen licet administrare Ordinem, vel Extremam vnctionem. Probabilius etiam videtur, seclusa consuetudine, tempore cessationis nuptias non esse celebrandas.

Probabile est tempore cessationis, posse in loco sacro sepeliri non modò clericos, sed etiam laicos, sine diuinis officiis.



CAPVT VI.

DE IRREGVLARITATE.

ARTICVLVS VI.

De irregularitate in genere.

Irregularitas est inhabilitas iure canonico inducta, quantum est ex se impediens susceptionem ordinum, vel vsum susceptorum. Vbi sub nomine ordinum comprehenditur etiam prima tonsura, ex communiore sententia.

Quamuis irregularitas magnam affinitatem habeat cum censuris, non tamen est censura proprie dicta; siquidem censura nunquam incurritur nisi ob peccatum; irregularitas vero non modo ob peccatum, sed etiam propter defectum aliquem, qui non est peccatum, contrahi potest.

Irregularitas in eos tantum cadit qui sunt capaces ordinis. Vnde nec viri nondum baptizati, nec feminae possunt irregularitatem istam, à iure Ecclesiastico inductam, contrahere.

Duplex est, alia ex defectu, alia ex delicto. Prior contrahitur sine culpa, posterior nequaquam. Imò hæc non incurritur, nisi ob peccatum mortale.

Vt incurratur irregularitas ex delicto, requiritur actus externus isque consummatus. Vnde irregularitas imposita ob homicidium, non contrahitur ob voluntatem occidendi, nec ob inchoatum homicidium, sed non perfectum.

Non tamen opus est, quod actus in iudicio probari possit.

possit. Quo fit vt excommunicatus occulte celebrans, incurrat irregularitatem.

Irregularitas impedit susceptionem tonsuræ, & omnium Ordinum; & si sit totalis, impedit vsum eorum omnium, non, si tantum sit partialis. Vnde si Sacerdoti amputetur digitus, ille poterit à peccatis absolueri, etsi non liceat ei sacrum celebrare.

Imò poterit per se loquendo, eiusmodi Sacerdos eligi ad beneficium, habens adiunctum onus audiendi confessiones, non autem sacrum celebrandi.

Licet aliqui putent hoc tantum procedere de eo, qui partialiter factus est irregularis, sine sua culpa: alii tamen id extendunt etiam ad eum, qui sua culpa eiusmodi irregularitatem incurrit.

Verum simpliciter irregularis non est capax beneficii, adeoque si illi confertur, curare debet vt obtenta dispensatione ab irregularitate, beneficium ei iterum conferatur. Et idem de pensione clericali dici potest.

Vnde si beneficium confertur irregulari, ante obtentam dispensationem, collatio est nulla, & ille non potest fructus beneficii suos facere, nec exercere actus administrationis ei adiunctos.

At si irregularitas post legitimam beneficii collationem superueniat, ea non priuat, ipso facto, beneficio ante obtento. Quare beneficiarius irregularis potest beneficium resignare in fauorem alterius, non tamen tenetur fructus restituere, si suo muneri per se, vel per alium satisfecerit.

Irregularis ob homicidium, aliudue crimen, priuandus est beneficio, non pensione; ei tamen qui ex ægritudine irregularitatem contrahit, debet dari coadiutor, qui illius vicem suppleat.

Sicut irregularis est incapax beneficii, ita & iurisdictionis ordinariæ ei adiunctæ; adeoque validè accipere non potest iurisdictionem ordinariam fori pœnitentiæ.

Verum quemadmodum beneficiarius qui incidit in

irregularitatem, non priuatur ipso facto beneficio ante obtento, ita potest ille exercere iurisdictionem beneficio annexam, extra vsum Ordinis; vnde Parochus irregularis potest matrimonio assistere, non tamen solemniter benedicere: potest alteri facultatē absoluedi delegare, non tamen ipse potest Sacramentaliter absoluerē.

Irregularis non est incapax iurisdictionis delegatę. Quare Sacerdos qui irregularitatem incurrit, potest validē accipere potestatem delegatam absoluedi in foro pœnitentię; esto non possit eam legitimē exercere, quamdiu tale impedimentum durat.

Confessio scienter facta irregulari nominatim denunciato, est inualida; at quę illi fit ignoranter, non videtur inualida.

Non incurritur irregularitas in dubio iuris, id est quando dubitatur an iure lata sit, vel an ius existat à quo imponatur.

Nec incurritur quando probabiliter iudicatur, per ius non inferri, etsi sit probabile, aut etiam probabilius eam inferri. At si probabile est irregularitatem iure latam esse, nec contrarium iudicatur probabile, id sufficit ad eam incurrendam.

Qui dubitat an actui quem elieuit, iuncta sit irregularitas, non debet contra talem irregularitatem operari; v. c. Ordines suscipiendo, antequam dubium ex causa rationabili in praxi deponat.

Si tamen post adhibitam moralem diligentiam, dubium adhuc perseuerat; aliqui dicunt dubitantem non teneri seruare irregularitatem; etsi alij oppositum doceant.

In homicidio laborans dubio facti, censetur irregularis, quod probabilius ad alia facta. propter quę irregularitas incurri solet, extendi non debet.

Licet autem aliqui putent, id non debere intelligi, nisi de dubio homicidij iniusti, alij tamen putant etiam extendi ad iustum homicidium. Ita vt ille tenetur

neatur
an alio

De ir

VAR

ficatio
sentar
est vni

Ne
veram
nium
uam,

Dic
verè c
tation

si qui
cogni
At

emiss
sa, vel
nium
nosci

Sec
le de
ferat
effec

taten
trech
niqu
buse

Ta
quis
ped
per d

appr

neatur se gerere tanquam irregularem, qui dubitat
an aliquem siue iuste, siue iniuste occiderit.

ARTICVLVS II.

*De irregularitatibus prouenientibus vel ex aliquo
defectu, vel ex delicto.*

VARIAE sunt irregularitates ortæ ex defectu.

Prima est quæ oritur ex bigamia, defectu signi-
ficationis, quatenus bigamus non potest rectè repræ-
sentare matrimonium Christi cum Ecclesia, quod
est vnus, cum vna.

Nota hoc impedimentum incurri, non modo per
veram & realem bigamiam, qua quis verè matrimo-
nium iniit cum duabus, sed etiam per interpretati-
uam, & similitudinariam.

Dicitur bigamia interpretatiua, quando quis non
verè cum duabus contraxit, sed secundum interpre-
tationem iuris censetur cum duabus contraxisse. Vt
si quis contrahat cum vidua, aut cum alia carnaliter
cognita.

At bigamia similitudinaria est, quando quis post
emissum votum castitatis, vel in professione religio-
sa, vel in susceptione sacrorum Ordinum, matrimo-
nium celeb: at cum aliqua, eamque carnaliter cog-
noscit.

Secunda est quæ oritur ex defectu corporis, siue il-
le defectu talis sit, vt nimiam deformitatem secum
ferat, vt si quis careret naso, aut ipsi oculus extractus
esset: siue impediatur executionem Ordinis ob debili-
tatem, vt si quis tremulis manibus non posset con-
tractare calicem, absque periculo effusionis. Siue de-
nique scandalum, & abominationem pariat, vt mor-
bus epilepticus, lepra, &c.

Tertia est ex defectu natalium, quando scilicet ali-
quis natus est ex illicito concubitu. Verùm hoc im-
pedimentum tolli potest 1. per legitimationem. 2.
per dispensationem 3. per professionem in Religione
approbata emissam.

M 3

Nota

Nota legitimatum à Papa fieri habilem ad Ordines, & beneficia, dispensationem verò esse strictè accipiendam, ita vt dispensatus ad Ordines, non censetur dispensatus ad beneficia, aut vice versa.

Quarta est ex defectu originis, aut libertatis. Unde serui sunt irregulares, nec possunt Ordines suscipere, sine consensu domini. Coniugati etiam ad Ordines non debent admitti nisi in casibus de quibus alibi dictum est. Item obligati ad ratiocinia impediuntur ab Ordinem susceptione, donec administrationis suae siue publicae, siue privatae rationem reddiderint. Item ij qui ex obligatione seruiunt curijs Principum secularium, vt Iudices, Aduocati, milites &c. donec ab eiusmodi officijs liberi sint.

Quinta oritur ex infamia, quae non solum tunc contingit, quando committitur graue delictum publicum, quod apud viros graues & honesto scensetur infame, vel cui à iure imposita est poena infamiae, sed etiam quando quis artem aliquam vilem & ignominiosam, vt histrionis, macellarij, tabernarij, &c. proficitur.

Sexta oritur ex defectu aetatis praescriptae ad Ordines suscipiendos, quae tollitur quando homo ad legitimam aetatem peruenit, nec ad hoc vlla opus est dispensatione.

Nota ad primam tonsuram requiri aetatem septem annorum, at verò Ordines minores post septennium conferri posse, excepto Acolitatu, qui non nisi anno duodecimo completo administrari debet. Ad subdiaconatum autem requiri aetatem 22. inceptum, ad diaconatum, 23. inceptum, ad presbyteratum, 25. inceptum, & ad Episcopatum, ex iure communi, trigessimum completum.

Septima oritur ex defectu animae, & comprehendit primo Energumenos, seu à dæmone etiam semel possessos; item furiosos ad tempus, & eos qui tantum semel inciderunt in amentiam, lunaticos, seu qui illa habent interualla, &c. secundo comple-

ctitur

stitur Neophitos, seu illos qui recens conuersi sunt ad fidem, siue antea Iudaorum, siue Turcarum, siue Lutheranorum, aut similibus hæreticorum sectæ addicti fuerint. Tertio homines illiteratos, seu qui carent scientia necessaria ex præscripto Ecclesiæ, ad Ordines suscipiendos.

Octaua oritur ex defectu lenitatis, quæ tunc contingit, quando aliquis iuste & ex publica autoritate alium actu occidit, aut mutilat, membrum aliquod amputando, v. c. manum, pedem, oculum, vel aliquam aliam partem corporis, quæ sit instrumentum proximum, & integrum alicuius actionis. Et hæc de irregularitatibus prioris generis, quæ dicuntur ex defectu.

Quod attinet ad eas quæ dicuntur ex delicto, eæ etiam sunt variæ & multiplices. *Prima* censetur quæ provenit ex homicidio voluntario, vel ex mutilatione membri iniusta, ad quam reducitur illa quæ ii ligantur, qui consulunt homicidium, si mors ex tali consilio sequatur; item qui homicidio cooperantur.

Secunda est quæ oritur ex homicidio casuali indirecte voluntario, & culpabili: dicitur autem homicidium indirecte voluntarium, quando non adhibetur debita diligentia, ne homicidium ex actione quæ fit, sequatur. Cæterum si homicidium sit omnino inuoluntarium, non incurritur irregularitas.

Tertis est quæ provenit ex homicidio necessario (seu quod non fit sponte, sed ex causa, & necessitate iustæ defensionis) si moderamen inculpatae tutelæ non intercedat; vt contingit si quis fugæ salutis suæ consulere possit sine dedecore, vel infamia, nec tamē fugiat, sed inuasorem occidat. Quod si prædictum moderamen interueniat, nulla incurritur irregularitas.

Quarta irregularitatis species oritur ex delicto circa administrationem aut susceptionem baptismi, quando scilicet quis denuo baptizat eum, quem
scit

scit antea fuisse baptizatum, quando ille qui baptizatus est, neque ignorantia inuincibili & inculpabili facti, aut iuris laborat, baptismum secundò suscipit.


Quinta prouenit ex delicto circa Sacramentum Ordinis; si quis v. c. furtiuè Ordines suscipiat, aut solemniter ministret in Ordine, quem non habet, aut sit per saltum ad aliquem Ordinem promotus, exempli causa ad diaconatum prætermisso subdiaconatu, & in Ordine sic suscepto, vel in eo quem omisit, ministret.

Sexta oritur ex delicto violationis alicuius censure Ecclesiasticæ, vt si clericus ita exercet actum alicuius Ordinis, vt tali exercitio dicatur violare censuram qua ligatur, nimirum maiorem excommunicationem, suspensionem, vel interdictum, nisi ex ignorantia, obliuione, necessitate, aliaue iusta causa excusetur.

Septima est quæ contrahitur ex delicto hæresis, qua ligantur hæretici, apostatæ à fide, eorumque fautores, etsi sint occulti, dummodo illorum hæresis signo aliquo externo sit manifestata. Extenditur autem hæc irregularitas etiam ad filios hæreticorum, vsque ad secundam generationem per lineam paternam, per maternam vero sistitur in prima, quod intellige de filiis hæreticorum, qui ante mortem non sunt cõuersi ad fidem. Sed hæc de irregularitate, adeoque de secunda Summula Casuum conscientia parte, pro nostro instituto dicta sufficiant, ad Maiorem Iesu Christi gloriam, & fidelium vtilitatem.

F I N I S.

Collegii Soc. Iesu 1697
Paderbornensis



VENI LUIS
per d. s.
ostendit
casus
E II
46









Th
2337

Verulus
et neryidys
Iosephus
Casus
E. II
46